



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXV. De Exceptionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

relaxare potest, qui potest Reum citare, & de illo contractu cognoscere, nimirum Judex Ordinarius illius.

CLVIII. Excipitur 1. Si contractus juramento iniuste extorto confirmatus, alibi extra locum domicilij, sive in aliena Diocesi sit initus: tamen in Judex, sive Episcopus loci, qui de contractu ibi celebrato cognoscere potest, cum contrahentes sortiantur forum in loco contractus, juxta *cap. fin. de foro compet.* potest etiam cognoscere de dissolvendo contractu; & consequenter etiam relaxare juramentum ei appositum; ut docet *Felin. in cit. cap. fin. circa finem. Sanch. cit. lib. 3. cap. 21. n. 31.* nam, cui conceditur finis, etiam ea conceduntur, quæ sunt necessaria, & ordinata ad finem. *cap. Præterea; §. de Offic. judic. deleg.* addit tamen *Sanch. c. l. Judicem contractus non potest hoc casu relaxare juramentum, si relaxatio petatur pro solo foro conscientia; cum in hoc foro Judex competens sit solum Judex, sive Episcopus domicilij.*

Excipitur secundò. Nisi is, cui juratum est, sponte se subiciat Episcopo iurantis; quia nimirum ipsemet agit ad implendam promissionem, seu contractum iuratum coram Episcopo iurantis, qui proinde, præmissa cognitione causæ, an per dolum, vel metum iniustum juramentum extortum sit, poterit ab eo absolvere subditum suum; cum tali casu citatio partis adversæ non requiratur; adeoque Episcopus iurantis eius juramentum relaxare possit, juxta doctrinam supra traditam à Felino, & Sanch.

Ceterum illud hic addendum, quodcumque juramentum est obligatorium, ex parte iurantis, & aliquam utilitatem adfert recipienti; tunc relaxari non potest, nisi causâ cognitâ, & parte absente citatâ, cui aliàs per absolutionem præiudicium fieri posset; nisi tamen notoriè constaret, juramentum esse per dolum, vel vim iniustam extortum; tunc enim posset fieri absolutio ab illo, etiam parte non citatâ. *Alexand. de Nevo in cap. Debitores; 6. num. 45. & 46. hoc tit.*

CLIX. Queritur tertio. An non tantum Præla-

rus Ecclesiasticus, sed etiam Judex, seu Magistratus secularis possit relaxare juramentum homini præstitum? Resp. Non potest quidem potestas secularis immediatè, ac directè relaxare juramentum, sive ab illo absolvere, cum sit vinculum Spirituale; adeoque ad solam Spiritualem potestatem pertineat, illud dissolvere; potest tamen relaxare indirectè inter laicos sibi subditos, si res juramento promissâ pertineat ad forum seculare; & bonum publicum, ac civile id exigat, supplendo factum, seu consensum partis; quia, si ipsa pars, cui iuratum est, juramentum per metum, vel iniuriam extortum remittere debeat, & non remittat, tunc Judex, seu Magistratus secularis, loco, & nomine illius, quamvis renitentis, illud remittere potest; quia, quando subditus tenetur præstare consensum ad aliquem actum, & rennit, potest Judex, seu Magistratus supplere eius consensum, & eo invito id præstare; ut patet, si opus sit vendere domum, vel aliam rem alicuius ad solvendum creditoribus; ut docet *Molina tr. 2. de justit. dif. 149. n. 12. Sanch. lib. 3. cap. 22. n. 15.* Et hæc potestas relaxandi juramentum, per metum, vel iniuriam extortum, competit etiam inferiori Judici Ordinario seculari. *Sanch. c. l. n. 18.*

Quin imò probabiliter potest Princeps secularis supremus etiam impedire, ne ex tali juramento obligatio oriatur, antequam illud præstetur, si id finis politicus, & bonum Reipublicæ exigat, irritando pactum, vel contractum, cui est adiectum juramentum, quo irritato, irritum redditur etiam juramentum in eo fundatum, sicut fit ab Ecclesia in matrimoniis clandestinis. *Molin. cit. dif. num. 13. Sanch. cit. loc. num. 10.*

Ex dictis deducitur, & confirmatur, quod supra dictum est, nempe hanc remissionem juramenti non posse facere Judicem ipsius iurantis, sed necessariò fieri debere à Judice, seu Superiore illius, cui juratum est; quia ad remissionem juramenti, loco eius, cui juratum est, requiritur necessariò iurisdicção in illum, cui juramentum præstatur; adeoque ut sit subditus illius. *Sanch. cit. loc. num. 17.*

TITULVS XXV.

DE EXCEPTIONIBUS.

Postquam actum est de probationibus in genere, & in specie, quæ sunt veluti arma Actoris, quibus is munitus Reum aggreditur, & intentionem suam probat, sequitur, ut de Exceptionibus quoque agatur, quibus Reus vicissim se adversus Actorem defendit, eiusque probationes eludit. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.



S. I.

Quid sit exceptio, & quomodo dividatur, & de opposita ei replicatione?

I.

ASSERTIO I. Exceptio quandoque latè sumitur pro omni defensione, quæ competit Reo, etiam si nulla Actori debeat actio; & hæc vocatur à quibusdam exceptio facti, seu intentionis, per quam excluditur intentio Actoris: ut, si quis à Titio petat sibi solvi centum, quæ ipsi mutuo dedit, Titius verò excipiat, negando, ea sibi mutuo data esse, vel asserendo, se jam ea solvisse: quod si verum sit, vel nunquam orta est obligatio competens Actori, vel ea jam sublata est; ut notat *Glos. in l. 2. V. Intentionem junct. Glos. margin. lit. f. ff. de except. Hostiens. in summ. n. 1. h. t. & Abb. ad Rubr. eodem.*

Quandoque verò exceptio accipitur strictè, pro defensione Reo competente, per quam excluditur actio, quæ jure Actori competit; adeoque propriè est actionis exclusio, quæ scilicet opponi solet actioni cuiusque rei ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemque (id est, condemnationis petitionem. *Gl. in cit. l. 2. V. Eodem.*) deductum est. *cit. l. 2. in princ.* Ut, si quis metu coactus, vel dolo inductus, vel errore lapsus promisit centum Titio, ex tali promissione, seu stipulatione ipso jure nascitur obligatio, & actio contra promittentem Caium, sed quæ ab illo per exceptionem quod metùs causâ, vel doli mali, excludi, & elidi potest; quia iniquum esset Caium eo nomine condemnari ad solvendum, quod dolo inductus, vel metu adactus promisit. §. 1. *Instit. h. t. Hostiens. & Abb. loc. cit.* & hæc vocatur à quibusdam exceptio Juris.

II. Assertio 2. Exceptiones variè dividuntur, nam in primis aliæ sunt dilatorix, & temporales, aliæ peremptoriæ, & perpetuæ. *l. 2. §. ult. & l. 3. ff. h. t. §. Appellantur Instit. eod.* Illæ non perimunt, ac tollunt, sed suspendunt, & differunt ad tempus actionem, & intentionem Actoris; ideoque & dilatorix appellantur, & temporales: cuiusmodi est exceptio de non petendo, quod promissum est ad tempus. *cit. §. Appellantur, v. g. ne intra quinque annos agatur, vel petatur: posteriores verò tollunt omnino jus agentis, & perimunt actionem, unde dictæ sunt peremptoriæ, ac perpetuæ; quia opponi possunt in quacunque parte Judicij. Gl. in cit. l. 2. §. ult. V. Semper; qualis est exceptio doli mali, metùs, erroris, pacti de nunquam petendo, jurisiurandi, solutionis, transactionis, præscriptionis, rei judicatæ, & similes. cit. §. Appellantur, & l. 3. Durand. in spec. l. 2. part. 1. tit. de except. §. 1. in princ.*

Exceptiones dilatorix rursus quædam sunt declinatoriæ fori, quæ respiciunt personam Judicis, ut quod sit incompetens, seu carens jurisdictione, cui impune non paretur. *l. ult. ff. de jurisd. vel quod sit suspectus parti, seu Reo convento, quæ dicitur exceptio recusationis Judicis. l. Aperrissimi; 16. C. de judic. de qua supr. tit. 2. sect. 6. §. 5. & 6. vel quia ex alia causa, ob defectum corporis, animi, vel natalium Judicis Officio fungi nequit. Et hæc statim*

in principio Judicij opponi debent, & præscriptiones vocantur, *l. fin. C. h. t. ne, si omittantur, videntur consentire videatur in Judicem. Maranta de Ord. jud. p. 6. membro 9. tit. de except. n. 1.* Aliæ sunt, quæ respiciunt personam partis litigantis, & opponuntur ad repellendam personam ab agendo; ut, si pupillus, sine tutore, compareat in Judicio ad agendum, minor sine curatore, filiusfamilias sine consensu patris, Procurator sine mandato, prodigus, cui bonis interdictum est, excommunicatus, & similes, qui non habent personam standi in Judicio: aliæ respiciunt personam Procuratoris; ut, quod Procurator esse non possit, quia minor, vel quia mandat non habet &c. *Maranta. c. l. n. 2. & 4. Hiltrop. in process. judic. p. 2. tit. 10. n. 43 & seqq.* Hæc etiã pertinent exceptiones, quæ Reo competunt, ut, si Actorem ex legitima causa domum revocet, ut ibi eum conveniat. *l. 2. ff. de judic. c. fin. de foro compet. vel si spoliatus ab Actore excipiat, quod non teneatur respondere, nisi priùs restitutus sit. cap. 1. de res. spoliat. in 6.* Aliæ denique sunt exceptiones, quæ respiciunt causam; ut est exceptio libelli inepti, vel obsecrari, litis pendentia, vel ne causæ continentia dividantur, vel cum, nondum diem solutionis præfixum advenit, prætenditur &c. *Maranta. c. l. n. 5. Hiltrop. c. l. n. 61. & n. 69. & seqq.*

Secundo dividuntur exceptiones, quod aliæ sunt personales, aliæ reales. *l. Exceptiones; 7. ff. h. t.* Personales sunt, quæ personæ dantur, eamque non egrediuntur; ideoque heredibus excipientis non conceduntur, multoque minus extraneis personis, puta fideiussoribus eiusdem. v. g. si socius omnium bonorum agat adversus socium, libertus adversus patronum, filius adversus patrem, uxor adversus maritum pro repetenda dote: tunc Rei conveniunt exceptionem competentia habent, id est, ut in id tantum condemnentur, quod honestè facere possunt, ne ipsi egeant: quæ exceptio cum intuitu tantum harum personarum datur, aliis, nimirum earum successoribus, vel fideiussoribus non competit. *cit. l. 7. ff. h. t.* Exceptiones reales sunt, quæ rei coherent, eamque sequuntur, ideoque etiam transeunt ad heredes, & fideiussores, usque competunt; ut est exceptio rei judicatæ, doli mali, quod metùs causâ factum est, item pacti in rem, sive ut nullo modo debitum petatur. *cit. l. 7. junct. Gl. margin.* Præter allatas ponuntur in *cit. l. 7.* aliæ quatuor exceptiones, quæ quidem personales esse videntur; quia certo personarum generi dantur: ratione tamen materiæ, mixtæ rectius dicuntur: quia non intuitu solius personæ, sed etiam ratione causæ dantur, & competunt, qualis est prima exceptio Senatusconsulti Velleiani, per quam succurritur mulieribus, si per suam intercessionem, seu fideiussionem dantur. *totò tit. ff. & C. de Senatusconsulto Velleian. Et que etiam fideiussoribus competit. cit. l. 7. & l. Si mulier; 16. §. Si ab ea. ff. Ad Senatusconsultum Velleian.* Secunda exceptio operarum, quas patronus liberto suo in manumissione eius imponit, eaque datur liberto, eiusque fideiussoribus, ut nec teneantur eas operas præstare, quippe quæ oneranda libertatis causâ sint imposta. *cit. l. 7. ff. h. t. & l. 1. §. Quæ oneranda; & §. Exceptionem. ff. Quæ rerum actio &c.* Tertia exceptio, quæ datur filiofamilias sine consensu patris, matrem accipientis ex Senatusconsulto Macedoniano, si

S. II.

An, & qualiter licitum sit excommunicato excipere in Iudicio, vel appellare, vel aliâ defensione uti?

IV. Assertio 1. Excommunicatus, etiam maiore excommunicatione (quæ sub excommunicationis nomine absolute posito intelligitur) non solum excipere, sed etiam appellare, & omni aliâ defensione uti potest; ut constat ex c. Cum inter; §. h. r. Nam, cum inter Priorem, & Conventum de Argentolio, ex una parte, & quendam Nobilem ex altera parte, lis orta esset propter damna illata, & quædam alia, eam causam Papa Innocentius III. quibusdam Judicibus delegavit, quorum Iudicium Procurator Monasterij declinare voluit, eò quòd duos ex illis suspectos haberet, sed Procurator Monasterij contra replicavit, quòd, cum Nobilis ille in excommunicatione existat, non possit huiusmodi exceptionem opponere. Re delatâ ad Papam, is respondit, quòd dicto Nobili legitima in Iudicio sit reservata defensio, & præsertim Iudicis recusatio; cum periculosum sit coram suspecto Iudice litigare, neque Sedes Apostolica soleat ex certa scientia talibus causas delegare. Neque verò hac in re excommunicato favor tribuitur, sed æquitas in iudicando attenditur, cum Iudicium claudicare non debeat: & ideo absurdum foret, si impugnante Actore, Reo copia defensionis denegaretur; quia sic sæpe condemnaretur absolvendus. Accedit, quòd, si excommunicatus in aliqua causa innocens reperiat, iusta absolutionis sententia non sit ei neganda, nec appellationis remedium, si iniuste sit condemnatus: unde non apparet, cur eidem alia similia, & necessaria defensionis remedia subtrahantur. Ex quo tamen non sequitur, quòd etiam reconventio excommunicato sit licita: nam quòd in defensionis remedium conceditur, id ad impugnationem extendi non debet.

V. Notandum primò. Quamvis excommunicato non permittatur in Iudicio agere, c. Intelleximus; 7. de iudic. potest tamen excipere, imò etiam appellare ei permittum est, si contra iustitiam condemnatur; ut decernitur in hoc c. & dictum supra tit. 1. num. 39. Ratio est; quia appellans à iudiciali gravamine non inchoat Iudicium, voluntariè provocando, sed potius necessitate compulsus prosequitur Iudicium, se defendendo contra iniustam sententiam. Abb. hic n. 15. Similiter potest excommunicatus appellare à gravamine non merè extraiudiciali, videlicet ab executeore, qui vult alium instituere in beneficio, quòd excommunicatus possidet: nam talis appellatio habet rationem necessariæ defensionis contra executionem sententiæ; ideoque etiam excommunicato conceditur: quamvis aliàs extraiudicialiter gravatus in excommunicatione existens appellare non possit; cum talis ipsemet, & prius ad Iudicium provocet. Abb. hic n. 17. & Joan. Monach. int. 1. n. 4. h. r. in 6.

VI. Notandum secundò. In specie verò deducitur ex hoc cap. excommunicatum posse opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ; quia & hoc pertinet ad defensionem, dummodo non pro-

uo; si enim ex eo conveniatur, & ipsi, & fideiussori ejus competit hæc exceptio. cit. l. 7. Quarta exceptio restitutionis in integrum competens Minori 25. annis; nam & hæc mixta est, & datur etiam eius fideiussori, si is dolo adversarij deceptus sit; secus si sui facilitate. cit. l. 7. junct. Gl. V. Idem dicitur juxta l. In causa; 16. ff. de Minorib.

Tertiò exceptiones aliæ sunt civiles, quæ à Jure Civili sunt inducæ; ut est exceptio fori declinatoria. l. ult. C. h. t. item iuramenti, & rei judicata. §. Equi si debitor. & §. Item si Iudicio, Instit. eod. Aliæ Prætoria, quæ à Prætoribus ob naturalem æquitatem introducæ sunt, ut doli mali, & metus exceptio. l. Qui æquitate; 12. ff. de doli mali, & met. exceptione.

III. Assertio 3. Exceptioni contraria est replicatio, per quam Actor excludit exceptionem Rei. l. 2. §. 1. & seq. ff. h. t. l. Non exceptionibus; 10. C. Eod. Est contraria exceptio, & quasi exceptionis exceptio. l. Exceptio; 22. in fine. ff. h. t. Nam, quia interdum accidit, ut exceptio, quæ primâ facie iusta videtur, tamen iniquè noceat, tum aliâ allegatione opus est, adjuvandi Actoris gratiâ, quæ replicatio vocatur; quia per eam replicatur, & resolvitur jus exceptionis; prout dicitur in princ. Instit. de replicat. ubi etiam exemplum affertur, v. g. creditor cum debitore suo pactum fecit, se ab eo pecuniam ipsi datam non petiturum: sed postea debitor aliud pactum facit de eodem debito antea sibi remisso solvendo creditori: hoc casu, si debitor conventus, ut solvat, alleget prius pactum de non petendo debitum sibi factum à creditore, potest Actor replicare, & allegare, prius illud pactum à debitore sibi postea remissum esse, ita, ut denno debitum petere sibi liceat: nam certi juris est, posteriora pacta, quæ prioribus sunt contraria, servanda esse, & prioribus derogare. l. Pacta; 12. C. de pact.

Potèd contra replicationem Actoris obijci potest à Reo duplicatio, per quam diluuntur obiecta in replicatione Actoris: & contra hanc admitti solet interdum, ex iusta causa, ex parte Actoris nova replicatio, per quam oppugnatur duplicatio Rei, quæ appellatur triplicatio: & contra istam conceditur interdum Reo nova replicatio, quæ vocatur quadruplicatio: & sic deinceps multiplicantur replicationes, dum aut Actor, aut Reus obijcit. cit. l. 2. §. Sed contra. ff. h. t. §. Rursus Instit. de replicat. Ne tamen nimium extrahatur Iudicium, & ut processus in infinitum evitetur, solet Iudicis officio modus allegationibus præfigi, juxta Auth. Invenimus. C. de Iudicis. vel etiam de eo per compromissum conveniri, nempe, ut duabus, vel tribus descriptionibus, & allegationibus utraque pars in causa concludat; ut notat Schneidew. Instit. de replicat. n. 3. Verùm in Camera Imperiali processus dilutionis, & altercationis in exceptionibus dilatorijs, ultra duplicationem inclusivè non extenditur, tamen in preperatorijs permittitur usque ad triplicationem inclusivè, in quo sistitur: quamvis hic modus non semper in omnibus causis observetur; sed Iudicis arbitrio relinquatur, ut secundum causæ qualitatem plures, vel pauciores allegationes, seu replicationes admittere possit. Harprecht. in Instit. tit. de replicat. §. Rursus.



proponatur principaliter per modum actionis, sed excipiendo; ut ex Baldo tradit *Barbof. hic in Collectan. n. 5.* Secundò. Si conveniatur ab emptore ad tradendam ipsi rem venditam, potest excipere, pretium sibi solum non esse. *Joan. Andr. hic n. 2. Abb. num. 25.*

Tertiò. Potest opponere pactum de non petendo. *Gl. hic V. Legitima.* item exceptionem solutionis, præscriptionis, rei judicatæ, doli mali, metûs, jurisiurandi; quia omnes hæ exceptiones respiciunt defensionem. *Barb. hic in Collect. n. 5.* Sed videtur, quòd excommunicatus non possit etiam excipere in Judicio; quia Reus excipiendo fit Actor. *l. In exceptionibus; 19. in princ. ff. de probat.* excommunicatus autem agere non potest. Verùm, et si in omni exceptione opponens illam probare debeat, verè tamen, ac propriè non fit Actor; quia actio principaliter tendit ad oppugnandum; exceptio verò ad defendendum se contra oppugnationem Actoris: neque excipiens petit aliquid sibi dari, vel fieri, sed solum intendit repellere Actorem: omnis autem defensio est concessa excommunicato, sicut non excommunicato. *Glos. hic V. Legitima defensio. & Abb. n. 11.*

VII. Notandum tertiò. Excommunicatus conventus de solvendo debito à creditore compensationem objicere potest, eaque uti; ut docet *Abb. in cit. cap. Cum inter; 23. contra Gl. ibid. V. Compensatione. Suar. dif. 16. de censur. fact. 3. n. 3.* in his scilicet, quæ sunt suapte naturâ compensabilia; cuiusmodi sunt debita circa res, quæ in genere suo functionem, seu commutationem recipiunt, & quæ in numero, pondere, & mensura consistunt, in quibus unum pro altero solvi potest. *Laym. l. 3. tract. 2. cap. 9. n. 9.* Ratio autem, cur excommunicatus compensare possit, est; quia in quovis negotio spectari debet id, quod principaliter intenditur, & agitur. at verò principaliter intentio compensantis est, Actorem à sua petitione repellere, licèt in consequentiam etiam, quod sibi debitum est, obrineat, quod etiam consequitur excipiendo: nam, qui petenti v. g. 100. aureos ex mutuo debitos vicissim animo compensandi objicit, & petit totidem aureos ex venditione sibi à petitore debitos, is spectatâ principali intentione, ac in effectu excipit, & se defendit, repellendo petitionem Actoris: nam compensatio moraliter veluti solutio quædam censetur. *l. Dedisse; 76. ff. de V. S. At, qui solutionem factam objicit, is utitur jure defensionis, atque exceptione, cum exceptio non sit aliud, quàm actionis exclusio: ergo, qui compensationem objicit, spectatâ principali intentione, & in effectu excipit, ac se defendit, sicut etiam, qui iuravit solvere, potest compensare debitum cum debito, nec ideo comittit periculum; quia compensatio est quædam solutio. *Abb. c. l. n. 23. & 24.**

Non obstat primò, quòd compensatio non habeat locû in debito inefficaci, quod videlicet per exceptionem peremptoriam elidi potest. *l. Quæcumque; 14. ff. de compensat. l. Amplius; ff. Rem ratam haberi.* Ut si v. g. major natu pupillo aliquid vendidit, sine tutoris auctoritate: vel si quis ei, qui ipsi debet centum aureos ex mutuo, facit pactum de non petendo: non habet locum compensatio; quia in effectu nihil debetur, cum in priore casu venditio fuerit invalida, in posteriore verò per pactum obligatio sit extincta. *Gl. in cit. l. Quæcumque in casu.* cum ergo nulla hinc defensio locû habeat, consequenter neque compensatio. Non ob-

stat secundò, quòd is, qui vult compensare, debet probare debitum: nam non ideo est Actor verè, ac propriè; ut ex suprâ dictis patet.

VIII. Notandum quartò. Licèt Reus excommunicatus conventus in Judicio possit excipere, & appellare, non tamen potest reconvenire Actorem; ut habetur in *cit. c. Cum inter; in fine. h. i.* ubi ratio redditur, ne, quod in defensionis remedium sustinetur, impugnationis materiam extendatur: nam reconventio non est verè, ac propriè defensio, sed potius actio, & impugnatio, est enim nova, & secunda conventio: idèoque, cui prohibita est conventio, est etiam prohibita reconventio. *Abb. hic n. 8.* Id autem intelligi debet de conventionem propriè dictâ; ut dictû suprâ in *n. 7. & 9.*

Notandum quintò. Excommunicatus potest recusare Judicem suspectum; cum periculosum sit, coram tali Judice litigare; ut habetur in *cit. c. Cum inter; & c. Quod suspecti; 15. caus. 3. q. 5.* Vnde Papa, vel Princeps nunquam præsumitur, causam delegare velle Judici suspecto, ex certa scientia, sed potius præsumi debet, id eum fecisse ex ignorantia. *Felin. hic n. 8.* Imò neque ex plenitudine potestatis potest alicui delegare facultatem recusandi Judicem suspectum, saltem in ijs, quæ non dependent à mera eius potestate; cum talis recusatio spectet ad defensionem, quæ jure naturali est cuique debita, cui Princeps sine iusta causa, derogare non potest. *Abb. in cit. c. Cum inter; n. 9. h. i.*

IX. Assertio 2. Excommunicatus, non solum excipere, & appellare, sed etiam appellationem prosequi potest, etiam si sit Actor principalis; prout sumitur ex *cap. Significaverunt; 11. h. i.* Nam cum, Canonici Tornacenses elegerint Petrum Clericum in Archipresbyterum, Mediolanensis Archiepiscopus eum confirmare noluit, prætendens, sibi jus eligendi competere; idèoque Zepum Clericum in Archipresbyterum illius Ecclesiæ instituit. Quare Canonici ad Sedem Apostolicam appellantes, impetrârunt causam committi Præposito S. Stephani, qui electionem Petri ab ipsis factam confirmavit, pronuncians, jus eligendi ad Capitulû pertinere: at verò partem adversam, videlicet Archiepiscopum, & Zepum à petitione Capituli absolvit. Tunc partes à sententia ista Præpositi appellârunt ad Sedem Apostolicam, & impetrârunt, ut causa Abbatis Papiensis, & Præposito Vercellensi committeretur. Coram quibus, ex parte Archiepiscopi, & Zepi, contra Canonicos exceptio excommunicationis est opposita: tum Judices isti delegati perperam decreverunt, Archiepiscopum, & Zepum ad respondendum Canonicis non esse cogendos, non considerantes, quòd prætextu excommunicationis opposita, non debeat aliquis à prosecutione appellationis repelli: cum omnis legitima defensio in Judicio excommunicatis sit reservata. Ab hac verò sententia cum Canonici ad Gregorium IX. appellârunt, ipse mandavit eisdem Judicibus, ut, non obstante huiusmodi exceptione, in ipso negotio procedant.

X. Hinc colligitur primò, quòd non tantum Reus, sed etiam Actor causam appellationis prosequi possit in Judicio, non obstante exceptione excommunicationis; quia in casu huius cap. Canonici Tornacenses, licèt fuerint Rei in co, in quo condemnati sunt, erant tamen Actores; quia petebant electionem suam confirmari, & jus eligendi Archipresbyterum

terum ad se pertinere, dicebant, in quibus duabus petitionibus etiam causam obtinuerunt; sed in tertia succubuerunt, in qua etiam erant Actores; quia petebant, sententiam absolutoriam pro Archiepiscopo, & Zepo latam revocari; & colligitur ex eo, quod Judices delegati pronuntiarent, partem adversam non esse cogendam ad respondendum Canonice, à qua sententia ipsi appellarent: & sic erant Actores; & tamen Pontifex respondit, quod Capitulum per exceptionem excommunicationis oppositam non debeat à prosecutione appellationis excludi. Ratio est; quia, nisi Actor per sententiam condemnatus facultatem habeat appellandi, & appellationem prosequendi, posset per transitum sententiae in rem iudicatam ei grave praedictum generari: & ideo admittitur ad defensionem juris sui, non obstante exceptione excommunicationis, cum tunc sit velut Reus, qui se defendit: nam appellatio est quaedam defensio, licet in prima instantia intervenerit, ut Actor, qui impugnabat; neque enim praetextu excommunicationis, aliquis est injuste condemnandus. *Gl. hic V. Defensio; Innoc. ibid. & Vivian. in Ration.*

Colligitur secundò. Si sententia Judicis plura capitula, seu articulos contineat; tunc potest utraque pars appellare à sententia, si una condemnatur in uno articulo, altera in alio; ut in casu huius c. Capitulum, praeter confirmationem electionis suae; insuper forte petebat expensas litis sibi praestari à parte adversa, vel fructus perceptos ab instituto in Archiepiscopatu restitui: à qua petitione, cum repulsam tulisset Capitulum, appellavit; nam hic dicitur, quod pars adversa fuerit absoluta ab impetitione Capituli: pars verò altera, videlicet Archiepiscopus, cum instituto ab eo, appellavit à sententia lata pro Capitulo, quod ad ipsum pertineat jus eligendi. *Gl. hic V. Absolvit; & Abb. n. 7. Reliqua, quae hic annotant DD. ad alias materias pertinent.*

XI. Ceterum, quod dictum est, appellantes non obstante excommunicatione, prosequi posse appellationem, id extenditur primò, quod etiam Rescriptum impetratum in causa appellationis valeat, non obstante exceptione excommunicationis post appellationem lata, licet de ea in Rescripto nulla fiat mentio; prout deciditur in c. *Dilectæ*; 10. h. t. Nam, cum controversia ortæ esset de decimis, & aliis rebus, inter Priorissam, & Conventum de Campesina, ex una parte, & inter Priorem, & Conventum de Buccella ex altera, eas Pontifex Gregorius IX. Abbatem cuidam Benedictino, & aliis quibusdam delegavit. Cum autem Moniales se gravari existimarent, ad Sedem Apostolicam appellarent, & nuncium ad prosequendam appellationem Romam miserunt. Sed Judices nihilominus post interpositam appellationem, eas excommunicarunt. Tum verò Moniales alias litteras super eadem causa appellationis impetrarunt: in quibus ea commissa fuit Priori de Angles, & conjugibus, nulla in litteris facta mentione excommunicationis. Quamobrem pars adversa, videlicet Prior, & Conventus eius, cum exceperet de excommunicatione Monialium, cuius nulla mentio facta esset in litteris Apostolicis, eamque exceptionem Judices admittente nolent, ad Sedem Apostolicam appellavit, & alias litteras ad alios Judices, videlicet Priorem de

Gernemo cum sociis impetravit. Coram quibus Moniales excipiendo replicarunt: quandoquidem sententia excommunicationis in ipsas lata fuerit, post legitimam appellationem ab ipsis factam, & cuilibet etiam excommunicato defensionis auxilium competere debeat; ideo rectè fuisse Judices in priore appellationis causa datos, videlicet Priorem de Angles, & socios, quod exceptionem partis adversae admittente noluerint. Sed cum Prior de Gernemo, & conjuges hanc defensionem, & replicationes Monialium non reciperent, ipsae denuò ad Papam appellarunt: qui rescripsit ad Decanum Linconensem, eique mandavit, si narrata vera sint, ut in statum pristinum restituat, quidquid post appellationem Monialium attentatum est, & postea in negotio ipso procedat, juxta mandatum ad Priorem de Gernemo, & Coniudices eius antea datum.

XII. Notandum hic primo. Quod in casu huius c. triplex mandatum fuerit impetratum ad Judices delegatos super causa appellationis. Quare, ut notat *Gl. fin. hic*, ultimus Judex, videlicet Decanus, si cognoverit, appellationem Monialium esse legitimam, debet, rescissis iis, quae post appellationem attentata sunt, in causa principali procedere, secundum tenorem praescriptum in mandato Apostolico dato ad Priorem de Gernemo, qui probabiliter fuit conformis modo procedendi praescripto Jure communi in c. *Ut debitis*; 59. de appell. nempe, ut, si constiterit, Moniales legitime appellasse, delegatus procedat in causa principali, & litem definiat: si verò illegitimè, eas in expensas condemnet, & causam remittat ad Priorem de Angles, & hic etiam, si appellationem legitimam esse appareat, causam principalem decidere debet. Alioquin, si illegitimè appellatum fuerit, Moniales condemnabit in expensas, & causam remittet ad Judicem à quo, nempe ad Abbatem Benedictinum, juxta *cit. c. Ut debitis*.

Notandum secundò. Etsi excommunicatio lata in Universitatem, seu Collegium non teneat, c. *Romana*; 5. §. *In universitatem; de sent. excomm. in 6.* potest tamen in singulos de Collegio excommunicatio ferri, propter eorum contumaciam: ut colligitur ex hoc c. in quo omnes Moniales fuerunt excommunicatae; & notat *Abb. hic n. 2.*

Notandum tertio. Si quis appellavit à judiciali gravamine, & Judex nihilominus, non obstante appellatione, procedat ad excommunicationem appellantis, potest is appellationem prosequi, & in Judicio contendere, & super hoc Rescriptum delegationis impetrare; ut deciditur in hoc c. Ratio est; quia talis excommunicatio, quae post interpositam appellationem lata fuit, pro irrita haberi, ideoque eius nulla ratio haberi debet, c. *Per tuas*; 40. de sent. excomm. cum appellatione pendente nihil debeat innovari, seu de novo attentari; alioquin attentata revocari debent. c. *Non solum*; 7. de sent. excomm. in 6. & cum excommunicato competat appellatio, tanquam necessaria defensio, patum, aut nihil ea ipsi prodesset, nisi illam prosequi posset appellans, & Judicem super ea impetrare. *Abb. hic n. 2. not. 2.* neque verò Rescriptum impetratum in causa appellationis censeri debet subreptitium, quod in eo non sit facta mentio excommunicationis latae, post appellationem factam: nam appella-

appellans. qui à JUDGE, à quo, ob gravamen appellavit, & ab eo recessit, non tenetur scire, quid ipse JUDEX postea faciat. Sicut ergo in impetratione Rescripti posterioris non est opus mentionem facere Rescripti prius impetrati, si hoc irritum sit, vel per exceptionem elidi possit; prout sumitur ex *c. Bone*; 3. *de confirm. util.* nam universum loquendo Rescripta ideo ob taciturnitatem veri vitiantur; quia, si Princeps cognitam haberet circumstantiam, vel qualitatem, que reticeretur, Rescriptum non dedisset, vel non tali modo dedisset: posito autem, quod prius Rescriptum, ob aliquem defectum, fuerit irritum, vel infirmum; tunc eo non obstante, posterius Rescriptum Princeps dedisset: ita similiter in proposito Rescriptum impetratum in causa appellationis validum est, etiamsi de excommunicatione lata, post legitimam appellationem, in eo nulla facta sit mentio: cum enim illa sit irrita, nihilominus tale Rescriptum datum fuisset, etiamsi in eo fuisset expressa excommunicatio. *Abb. hic n. 3.*

XIII. Extenditur secundò. Quòd valeat Rescriptum impetratum ab excommunicato super causa appellationis, etiamsi illi postea objiciatur, quòd tempore impetrati Rescripti fuerit excommunicatus; prout deciditur in *c. Venerabilem*; 14. *et ult. h. t.* Nam cum Archiepiscopus Narbonensis appellasset à Judicibus, propter gravamen sibi illatum, ad Sedem Apostolicam, impetrans Rescriptum ad alios Judices: coram his ipsi objiciebatur, quòd tempore Rescripti, etsi ex aliis causis impetrati, in excommunicatione extiterit, cuius in eo nulla fieret mentio. Ad hoc Respondit Papa Gregorius IX. Archiepiscopum, vigore illius Rescripti, ad prosequendam appellationem admittendum esse: nam alioquin nihil excommunicatis prodesset, quòd eis concessum sit appellare, nisi etiam appellationem prosequi, & super ea Rescriptum delegationis impetrare possent. Ratio generalior est; quia, si quidpiam alicui concessum sit, censentur etiam concessa ea, sine quibus illud inefficax foret, vel commode expediri non potest. *c. Praterà*; 5. *de offic. deleg.* cui ergo concessa est appellatio, censeri etiam debet concessum, quòd possit appellationem prosequi, & super ea Rescriptum ad Judices delegatos impetrare. *Abb. hic n. 5.*

XIV. Idque procedit, non solum, si appellans excommunicatus sit ex aliis causis, ut in casu *cit. c. ult. h. t.* sed etiam, si excommunicatus fuerit propter causam, à qua appellavit; prout sumitur ex *c. 1. de Rescript. in 6.* ubi generaliter, & indistinctè permittitur excommunicato Rescriptum impetrare, in causa excommunicationis, vel appellationis. *Abb. hic n. 7.*

Excipiendum tamen est: nisi quis appellet ab ipsa sententia excommunicationis, non dicendo, sententiam esse ipso jure nullam; ut quia post interpositam appellationem lata fuit; vel quia intolerabilem juris errorem continet; ab hac enim appellare est licitum: sed dicendo solum, sententiam excommunicationis esse injustè, seu illicitè latam, non negando tamen, validè latam esse; tunc enim, cum appellans fateatur, se excommunicatum esse, meritò repellitur à prosequenda appellatione, neque admitti debet ad litigandum de injustitia excommunicationis, nisi prius petat, & impetret absolutionem. *c. Per tuas*; 40.

de sent. excomm. nam cum hoc casu, ante omnem à JUDGE absolvendus sit, priusquam cognoscatur, justè, an injustè excommunicatus fuerit, juxta *c. Cum contingat*; 36. *De offic. jud. deleg.* differendo petere absolutionem, videtur excommunicationem contemnere. *cit. c. Per tuas*; *Abb. hic n. 6.*

XV. Assertio tertia. Si Reus excipiat contra Actorem, quòd sit irretitus excommunicatione majore; Actor verò replicet, quòd ipse quoque excommunicationem minorem contraxerit, non est admittenda ista Actoris replicatio, seu reciproca exceptio, quamvis exceptio Rei conventi sit legitima; prout deciditur in *c. A nobis*; 2. *h. t.* Ubi quaesitum fuit, si Titius accusatus à Martino contra illum excipiat, quòd sit excommunicatus, sed Martinum replicet, quòd ipse quoque Titius sit excommunicatus, scienter communicando secum in oratione, & locutione; ideòque ad excipiendum admitti non debeat, an hæc replicatio Martini sit admittenda, & Titius ab accusatione repellendus? Ad hoc respondit Innocentius III. quòd Martinus sit ab accusatione Titii repellendus; quia ipse à communione fidelium fuit exclusus; Titius verò ad excipiendum contra illum admittendus; quia ipse solum à participatione Sacramentorum fuit reclusus. Ratio decisionis patet ex textu; quia per majorem excommunicationem arcetur quis à communione fidelium, & consequenter etiam à communione forensi, ita, ut repellì possit, ac debeat in Judicio; per excommunicationem minorem verò arcetur quis solum à participatione, sive perceptione Sacramentorum, ita, ut illa recipere non possit: dummodo tamen Reus cum Actore excommunicato non communicaverit in crimine: tunc enim velut criminolus etiam repellì possit ab accusando; ut notat *Imol. hic n. 1.*

XVI. Verum obstare videtur, quòd Reus conventus, qui prius communicavit cum Actore excommunicato, in oratione, & sermone, non videtur postea posse eundem excipiendum repellere; quia, quem semel quis approbavit (saltem tacitè, & ipso facto, non vitando eum, sed cum illo communicando in conversatione externa) non potest deinde reprobare. *Arg. c. Quemadmodum*; 25. *in princ. junctis Gl. V. Præcedentem*; & *de jurejur.* Sed responderetur, si reus conventus scienter communicavit in oratione, & sermone cum excommunicato denunciato, & non tolerato; ideòque excommunicationem minorem incurrit; tunc nihilominus potest, & debet excommunicatum agentem in Judicio excipiendum repellere, quia tunc approbatio non pendet ab excommunicati voluntate, sive communicando cum illo non potuit eum approbare; nam cum jure publico excommunicatus non toleratus, seu denunciatus sit vitandus, non potest huic juri, nec expressè, nec tacitè à privatis renunciari. *Arg. c. Si diligenti*; 12. *de foro compet.* adeòque non obstante illà communione cum Actore, Reus potest, ac debet illum, saltem per viam exceptionis, repellere. At verò in iis, quæ pendet à voluntate approbantis, hic non potest nec agendo, nec excipiendum impugnare, vel reprobare approbatum. *Gl. hic V. Accusatione*; & *Abb. n. 7.* si verò Reus communicavit cum Actore excommunicato tolerato, & non vitando; tunc etiam ipse Reus potest eum ab agendo repellere, quamvis non debeat, post Con-

stitutionem Extravag. Concilii Constantiensis. Adevi-
tanda; vi cuius fideles non tenentur quidem vitare
publicè excommunicatos toleratos, possunt tamen
cos vitare, si velint; quia per illam Constitutionem
nullus favor est factus ipsis excommunicatis, sed sol-
lùm aliis fidelibus, datà illis facultate vitandi, si ve-
lint, aut non vitandi; ut ex communi notat *Avila de*
cenfur. p. 2. c. 6. dis. 7. dub. 1. concl. 1. & 2. ergo Reus
potest excipiendo repellere ab agendo etiam excom-
municatum toleratum, si velit, quamvis non debeat,
sicut ante Concilium Constantiense tenebatur vitare.
Quare regula illa paulò antè tradita, quòd, quem se-
mel quis approbavit, postea reprobare non possit, lo-
cum tantùm habet in iis rebus, in quibus consentien-
do juri suo renunciare quis videtur, quod in propo-
sito non contingit; quia jure novo libera facultas
concessa est fidelibus communicandi cum excommu-
nicato tolerato, vel etiam vitandi illum, prout vo-
luerint, quod cum in favorem fidelium sit statutum,
latè id interpretari oportet.

XVII. Sed jam hic ulterius quæritur, an, si
uterque litigans, non solum Actor, sed etiam Reus
excommunicatione majore sit irretitus, atque Reus
conventus Actori objiciat exceptionem excommuni-
cationis, possit Actor vicissim Reum repellere, quòd
non possit excipere, eò quòd æquè, atque ipse, sit ex-
communicatus; adeòque etiam exclusus à commu-
nitione forensi. Respondetur negativè; quia excep-
tio Rei conventi non habet se propriè per modum
actionis, sed potiùs defensionis, cum tendat non ad
impugnandum Actorem, sed ad illum repellendum,
ut desistat ab agendo in judicio: constat autem
omnem legitimam defensionem esse reservatam, &
concessam excommunicato, seu ligato, etiam ma-
jore excommunicatione. *c. Significaverunt 3. 1. h. t.*
Gl. hic V. Accusatione; & Abb. num. 8. unde etiam
Reus excommunicatus, infamis, & criminiosus potest
excipere contra accusatorem, vel testem excommu-
nicatum, infamem, vel criminiosum, eumque repe-
llere; ut ex communi hic docet *Alex. de Novo n. 15.*
Ratio est; quia in hoc casu non habet locum com-
pensatio excommunicationis unius cum excommuni-
catione alterius, ob defectum paritatis, nam favo-
rabiles sunt Rei, quàm Actores; ideòque Reo faci-
lius conceditur defensio, seu exceptio, quàm Actori
oppugnatio, sive actio; ut notat *Gl. in c. Testimonium 3.*
§. 4. V. In hoc casu; de testib. Ethinc excommuni-
cationes non compensantur ad invicem, ita, ut, licet
excommunicatus possit excipere, non tamen agere
contra alium excommunicatum. *Barbos. in Collect. hic*
num. 2.

S. III.

Quando, & quomodo exceptio ex-
communicationis opponi possit, vel
debeat, & quando exceptiones
contra testes proponenda
sint?

Præmittendum, quod exceptiones dilatorias,
quæ proponuntur causâ differendi Judicium, regu-
lariter opponi debeant, ante litis contestationem. *c. i.*
de lit. contest. in 6. exceptiones verò peremptoriae ple-
rumque etiam post litis contestationem, & postquam
probationes allatae, testes publicati, & in causa con-
clusum fuit; ut dictum supra *tit. §. 3. n. 2. i. & seqq.*
nunc de quibusdam exceptionibus in specie, quando
opponi possint, vel debeant, dicendum; de quibus
agitur in hoc tit.

XVIII. Assertio prima, Quamvis exceptio
excommunicationis inter dilatorias numeretur
(quæ regulariter ante litis contestationem opponi
debet) si tamen Reus scienter illam ab initio litis
opponere omiserit, nihilominus eam (etiam post
litem contestatam) in qualibet parte Judicii oppo-
nere potest: Idque in hac exceptione specialiter
statutum est, ne quis, cum animæ suæ periculo, ex-
communicato communicare cogatur. Verumta-
men, si Reus eam exceptionem, ante litis contesta-
tionem, opponere omiserit, ita, ut Actor laboribus,
& sumptibus frustra fatigaretur, condemnari de-
bet ad legitimas expensas solvendas Actori. Por-
tò qui publicè excommunicatus est, etiam si huius-
modi exceptio contra illum non fuerit opposita, à
Judice tamen ex officio suo repellendus est; ita sta-
tuitur in *c. Exceptionem; 1. 2. h. t.*

XIX. Idem statutum habetur in *c. Pia; 1. in*
princ. h. t. in 6. quod est desumptum ex Concilio Lug-
dunensi, ubi Innocentius IV. ita rescripsit: Pie,
ac rectè Mater Ecclesia statuit (in *c. Exceptionem;*
1. 2. h. t.) ut exceptio majoris excommunicationis,
in quacunque parte Judicii opposita lites differat,
& repellat agentes (non item defendentes, seu ex-
cipientes. *Gl. hic V. Agentes.*) ut Ecclesiastica cen-
sura magis timeatur, communionis periculum vi-
tetur, contumacia reprimitur, atque excommu-
nicati, dum à communibus actibus repelluntur,
rubore suffusi, ad humilitatis, & reconciliationis
affectum faciliùs inclinentur. Sed quia, quod re-
ctè provisum fuit in remedium, propter malitiam
hominum, sæpe vertitur in nocumentum (dum
enim in Ecclesiasticis causis talis exceptio frequen-
ter per malitiam opponitur, differuntur negotia,
& partes laboribus, & expensis frustra fatigantur)
ideo æquum est, ut huic malo passim invalescen-
ti medela adhibeatur, de qua infra dicitur *n. 2. i.*

XX. Pro intellectu utriusque huius *c.* No-
tandum 1. Exceptio excommunicationis, licet aliàs
sit dilatoria, & differat processum Judicii, usque dum
excommunicatus absolvatur, adeòque ante litem
contestatam opponenda esset: nihilominus tamen ea
in quacunque parte Judicii opponi potest contra Acto-
rem, etiam post conclusionem in causa, usque ad la-
tam sententiam: idque præcipuè propter periculum
animæ, seu peccatum, quod incurrit litigans, com-
municando cum colligante; & quidem uterq; tam
communicans, qui communicando incidit in mino-
rem excommunicationem, quàm excommunicatus;
ut notat *Gl. in cit. c. i. V. Periculum.* Hoc verò tan-
tùm habet locum, si communicatio forensis, sive in
Judicio fiat cum excommunicato vitando, & non to-
lerato: is enim à parte litigante, vel, si hæc id inter-
mittat, à Judice, etiam post litem contestatam, repe-
lli potest, imò & debet, juxta *c. Exceptionem; &*
c. 1. eod. in 6. at verò excommunicatus toleratus, &
non

non

non vitandus potest à Reo repelli ab agendo, sive ante, sive post litem contestatam, in qualibet parte Judicii, ita, ut interea, donec exceptio hæc excommunicationis à Reo probetur, Judex procedere, vel Actorem ad probandam suam intentionem admittere non possit: quia & Judex Actorem excommunicatum, si publica, & notoria sit excommunicatio, sed non sit denunciatus, vel vitandus, ab agendo repellere potest, non tamen tenetur; quia non obligatur illum vitare; ut docet *Suar. dis. 16. de censur. sect. 3. num. 2.* Ratio assignatur in *cit. c. 1.* videlicet, ut magis Censura Ecclesiastica timeatur, & communionis periculum evitetur, & contumaciæ vitium reprimatur: id eo que excommunicati, etiam tolerati, & non vitandi, à communibus actibus, non solum judicialibus, quales sunt procuratorum, & testium, sed etiam extrajudicialibus, ubi de ipsorum utilitate agitur, repelluntur. *Gl. in cit. c. 1. V. Communibus; h. t. in 6.* nam excommunicatio tractum successivum habet, ita, ut semper ex parte excommunicati peccatum continuetur, isque continuò peccet, si absque necessitate cum fidelibus communicet, etiam si vitandus non sit, cum tales excommunicati novo jure vitari possint, etsi non debeant; ut supra dictum.

Notandum secundò. Dupliciter opponi potest exceptio excommunicationis; ut notat *Gl. communiter recepta in cit. c. 1. V. Opponit; h. t. in 6. Barb. in Collect. ibid. n. 6.* Primò, in vim, seu per modum dilatoriæ, ad impediendum, ac differendum duntaxat processum Judicii, salvo jure Actoris, ut si v. g. opponatur Actori, quòd in Judicio stare non possit; quia majore excommunicatione est obstrictus: & tunc Actor, postquam ab excommunicatione est absolutus, potest agere, & petitionem suam proponere in Judicio, qui est casus *cit. c. 1. h. t. in 6.* Secundò, in vim, seu per modum exceptionis preemptoriae, ut si v. g. electo Prælo perenti confirmationem objiciatur, quòd tempore electionis fuerit irretitus majore excommunicatione, vel electus ab excommunicatis, vel quòd collatum sit beneficium excommunicato; quia tunc perit omnino jus Actoris, seu petitoris, si exceptio fuerit probata; cum priore casu solum differatur, donec absolvatur.

XXI. Assertio secunda. Si quis exceptionem excommunicationis alicui objiciat, ut ipsum ab agendo repellat, debet speciem eius (utrum sit major, an minor excommunicatio) & nomen excommunicatoris (proprium, & appellativum, vel saltem nomen dignitatis, ut sciatur, an sit Judex ordinarius, vel delegatus. *Gl. hic V. Nomen*) exprimeret: eamque rem, sive excommunicationem in publicam cognitionem Judicis deferre, ita, ut post eum diem, in quo excommunicationem objicit (eodem non computato) intra octo proximos dies, eam probare teneatur apertissimis documentis. Quòd si intra illos dies Reus non probaverit excommunicationem, Judex in causa procedet, & Reum in expensas, quas Actor, interim se fecisse, docuerit, præmissâ taxatione, condemnabit; prout statuitur in *cit. c. 1. §. Si quis igitur; h. t. in 6.* Si verò Reus, durante instantiâ Judicii (antequam hoc per sententiam finitum est) denuo eandem excommunicationem, vel aliam objiciat, eamque probet (infra octo dies) Actor ulterius admitti non debet ad agendum in Judicio, donec absolutus fu-

erit ab excommunicatione: quæ tamen præcesserunt acta, firma, & valida manebunt. Quòd si verò reus, postquam semel succubuit in probatione excommunicationis, atque ad objiciendam denuo excommunicationem admittitur, in eâ intra octiduum probandâ secundò defecerit, tertio excipere volens admittendus non est ad probandum: præterquam si nova excommunicatio emerferit (sive Actor de novo excommunicationem incurserit) vel evidens, & prompta, seu expedita probatio ante obiecta excommunicationis de novo supervenerit; *cit. c. 1. §. Si verò?* Porro, si post latam sententiam (quæ transit in rem Judicatam) exceptio excommunicationis obiecta fuerit (& probata à Reo, intra octo dies, ut supra) eius executionem impedit (donec fuerit absolutus) sed ipsa sententia valida manebit, ac si ipse tempore sententia excommunicatus non fuisset; ut supplet *Gl. ibid. V. Obinebit.* Verum si Actor publicè sit excommunicatus, id quo Judex sciat: tum Actorem, cum Reus non excipiat, ex officio ab agendo repellere debet; prout statuitur in *cit. c. 1. §. fm. h. t. in 6.*

XXII. Notandum primò. Ut excommunicatus repellatur ab agendo in Judicio, debet excommunicatio probari apertissimis documentis, videlicet per testes, vel instrumenta. *Gl. hic V. Documentis;* ac proinde non sufficit, eam probare per unum testem, vel per famam, nec deferri potest juramentum in defectum probationis. *Franc. hic in §. Si quis igitur; n. 5.*

Notandum secundò. Si excipiens deficiat in probatione exceptionis dilatoriæ, statim debet condemnari in expensas Actoris, etiam ante finem ipsius causæ, seu Judicii: si tamen Judex pronunciet, procedendum esse ad ulteriora, nec Reum statim condemnare in expensas, poterit postea eum condemnare, usque ad sententiam definitivam; quia eò usque adhuc durat officium, & jurisdictio Judicis. *Franc. ibid. num. 2.*

Notandum tertio. Si Actor excommunicatus, etiam vitandus, & non toleratus, comparens in Judicio, neque per exceptionem adversarii, neque per Judicem ex officio repellatur, valida sunt omnia acta Judicii præcedentia, sive in causa civili; sive in criminali; quamvis cum tali Actore in Judicio communicare illicitum sit. *Franc. in cit. c. 1. §. Si verò; n. 10. Barb. ibid. in Collect. n. 10. Laym. lib. 1. tract. 1. p. 2. c. 2. n. 14.* Addit tamen *Franc. c. 1.* quòd obiecta postea, ac probata exceptione excommunicationis, reddatur Judicium nullum, etiam si Judex non repellat excommunicatum, ita, ut omnia acta sequentia, sint nulla; ut colligitur ex *cit. c. 1. §. Si verò; ibi: Que præcesserunt;* ergo à contrario sensu, quæ sequuntur, sunt nulla.

Notandum quartò. Illud speciale est in exceptione excommunicationis, quòd etiam post lapsum termini à Judice ad excipiendum statuti, vel post sententiam interlocutoriam, per quam Reus, ob defectum probationis, est repulsus, is iterum admittatur ad probandam eandem, vel aliam excommunicationem Actoris, *cit. §. Si verò. Barb. ibid. n. 11.* Illud tamen commune est huic exceptioni excommunicationis cum aliis exceptionibus dilatoriis, quòd, si postea nova excommunicatio emerferit, seu supervenerit, vel si probatio antiquæ, quæ antea præcesserat, de novo

allata fuerit; tum etiam post litis contestationem, & in quacunque parte Iudicij admittitur Reus ad iterum opponendam exceptionem excommunicationis. *cit. §. Si verò; Franc. ibid. n. 3. & Barbos. n. 12.*

Notandum quintò. Qui bis defecit in probatione excommunicationis, non potest in eadem, vel alia excommunicatione, sed antiqua, tertiò exceptionem obijcere; quia præsuntur malitiosè id facere, & litem indebitè velle prolongare. *cit. §. Si verò; nisi post binam oppositionem, nova excommunicatio supervenerit; tunc enim datà novà dilacione, bis adhuc admittetur Reus ad illam proponendam, & probandam, sed non tertiò: praterquam, si Iudici videretur malitiosè proponi. Franc. in cit. §. Si verò; num. 2. not. 3.*

Notandum sextò. Si sententia definitiva lata sit pro Actore excommunicato, potest nihilominus contra illum opponi exceptio excommunicationis, etiamsi in rem judicatam transivisset, & per eam impediretur executio sententiæ, licèt ab ea non sit appellatum; quia ex sententia est orta nova actio, quam excommunicatus intentare non potest. *Franc. in cit. c. 1. §. Sed si post; n. 1. & merus executor admittere debet exceptionem excommunicationis; quia nec coram illo excommunicatus comparere potest. Gl. in cit. §. fin. V. Executionem; & Barbos. ibid. n. 16.*

Notandum septimò. Iudex debet publicè excommunicatum, etiam Reo non opponente, ex officio suo repellere ab agendo. *cit. c. 1. §. fin. idque tum ad vitandum periculum peccati, quod incurrerent communicantes cum illo; tum ne tam gravis censura Ecclesiastica contumnatur; ut habetur in princ. cit. c. 1. Franc. hic §. fin. n. 2. not. ult.*

XXIII. Assertio 3. Exceptiones contra personas testium obijci, & probari debent, ante latam sententiam definitivam; prout sumitur ex c. *Denique; 1. h. t.* Ubi Papa Celestinus II. ita rescribit: " Si crimina testibus productis, per modum exceptionis obijciantur, de quibus nunquam antea accusati fuerant; tum criminum probatio exhibenda est in Iudicio, priusquam causa per sententiam terminetur, eò quòd ad ferendum testimonium requirantur testes, secundùm statuta SS. Canonum, nullà infamià notati, vel suspicione gravati, sed, qui sint absque manifesta macula (*can. Testes; 39. caus. 2. q. 7. c. Præsul; 2. in fine, q. 5. cit. caus. c. Licet; 23. & c. leg. de testib. Gl. hic V. Absque ulla*) Si verò testibus obijciantur illa crimina, de quibus jam ante in priore Iudicio fuerunt accusati, & quidem convicti, vel confessi, tum statim à testimonio repellendi sunt; quia non est credendum eorum confessioni, seu depositioni, nisi priùs probaverint, se esse innocentes, hoc est, ut explicat *Gl. hic V. Innocentes; nisi probaverint, se emendatos esse de criminis, & egisse penitentiam, & tum demum admittuntur.*

XXIV. Notandum hic primò, quòd dictum est, exceptiones contra personas testium opponendas esse, ante latam sententiam, id intelligendum est: antequam in causa conclusum est. *Arg. c. Cum dilectus; 9. de fide instrum.* ubi habetur, quòd instrumenta ab utraque parte produci possunt, donec in causa conclusum sit: & l. *Si in rem; 29. in fine, ff. de evictio.* ubi *Gl. margin. ait,* sententiam jam latam esse, & proximè ferendam, parjà censori. *Abb. hic n. 3.* Imò hæ exceptiones regulariter fieri debent ante publicatas attestatio-

Tomus II.

nes. c. *Præsentium; 31. de testibus.* juxta cuius tenorem intelligendum esse prædictum c. 1. h. t. notat *Gl. hic V. Obijciuntur. Abb. cit. n. 3. Covarr. pract. qq. c. 18. n. 5.*

Notandum secundò. Exceptiones, quæ opponuntur contra personas testium, non possunt dici dilatoriæ; quia non differunt processum Iudicij, adeoque nec debent opponi ante litis contestationem, nec dirigi secundùm regulas exceptionum dilatoriarum: neque etiam propriè sunt peremptoriæ; quia non perimunt actionem, vel jus agendi; cum etiam per alios testes, & modos fieri possit probatio: sunt tamen quasi peremptoriæ; quia magis accedunt ad naturam peremptoriarum, quam dilatoriarum: nam, quamvis non directè, in obliquo tamen, & indirectè perimunt, & tollunt intentionem adversarij, & jus agendi inutile reddunt; quia faciunt, ut per testes probari non possit: si enim probatum sit, quòd testes sint perjuri, vel aliàs criminosi, non debent admitti; ideòque usque ad sententiam huiusmodi exceptiones opponi possunt, sicut aliæ peremptoriæ. *Gl. in cit. c. 1. V. Per sententiam; & Abb. ibid. n. 7. & dictum supra tit. 20. n. 244.*

Notandum tertiò. Quòd dictum est, exceptiones contra testes opponi debere, ante sententiam, id limitandum est Primò, ut non procedat, si exceptio opponatur, non contra personas, sed dicta testium; scilicet cum testis arguitur de falso, vel, quòd Actor falsos testes produxerit, aut falsis instrumentis sit usus; ut tradit *Gl. in cit. c. 1. V. Per sententiam; h. t.* Nam exceptio falsitatis, sive de dolo, & falsitate commissà, non solum ante, sed etiam post sententiam obijci potest; prout expressè dicitur in c. *Cum venerabilis; 6. h. t.* imò semper eam opponere licet ad impediendam executionem. *l. Pure; 5. §. fin. ff. de doli, & met. except.* ubi ratio redditur; quia Actor quidem in sua potestate habet, quando utatur iure suo: is autem, cum quo agitur, non habet potestatem, quando conveniatur. Quòd si quis de commisso crimine falsi criminaliter conveniatur, ea actio intra annos XX, institui potest; ut constat ex *cit. c. Cum venerabilis;* ubi dicitur, cum falsorum instrumentorum prætextu, lata sententia usque ad XX. annorum spatium valeat retractari, veritate compertà, sicut & aliæ criminales actiones. *l. Querelam; 12. C. ad leg. Cornel. de fals. Gl. in cit. c. 1. V. Per sententiam; h. t.*

Limitandum secundò. Si sententia non transeat in rem judicatam, v. g. in causa matrimoniali; tunc etiam post illam contra testes exceptio opponi potest: quemadmodum etiam in causa appellationis, sicut peremptoriæ exceptiones, quæ antea oppositæ non erant, possunt postea opponi: ita & exceptiones contra testes, dummodo malitiosè non fuerint dilata, videlicet ad prorahendam litem. *Gl. in cit. c. 1. V. Per sententiam. Abb. ibid. n. 8. & 9.*

XXV. Assertio 4. Si contra testes crimina obijciantur, per modum exceptionis tantùm (ut à testimonio ferendo repellantur) tamen si de ijs convicti fuerint, vel confessi, non tamen postea penam ordinariam affici debent, cum accusatio contra eos directa non fuerit: sed sufficit eos à testimonio ferendo repellere, præsertim, si crimen obiectum ad causam, de qua agitur, non pertineat; prout statuitur in *cit. c. 1. in fine h. t. & tradit Gl. in c. Ex penitentibus; 55. dis. 50.* Ratio redditur in textu, quia con-

tra ipsos testes actio, vel accusatio mota non fuit; prout etiam habetur in *c. 2. de ord. cognit.* ubi *Gl. V. Restitutio*; ait: Semper enim videndum est, ad quid agatur; quia secundum modum agendi formatur sententia. Idque confirmatur ex *c. Super his*; 16. *de accusat.* ubi dicitur, si electus repellatur tanquam indignus, ob crimen commissum, non esse ideo privandum beneficiis obtentis.

Verum in hac re ulterius distinguendum est: nam vel crimen contra testem obiectum, & probatum causæ in iudicium deductæ connexum est; & tunc, si de falso testimonio arguatur, & convincatur, illudque confiteatur, puniri potest à Judice, coram quo falsum testimonium dixit, juxta *l. Nullam*; 14. *C. de testib.* & quidem pœnâ ordinariâ, tanquam falsarius, & perjurus; dummodo falsum dixerit circa factum substantiale, sive per se ad causam pertinens; sin autem circa aliquid accidentale, quod ad causam iudicij solum per accidens pertinet; tum extra ordinem puniendus est. *Menoch. de arbitr. judic. casu* 307. n. 2. & 3. Vel testis suscepit iudiciale litem super crimine ipsi obiecto, & ad causam in iudicium deductæ pertinente, de quo convictus, & confessus est; & tunc pœnâ ordinariâ est afficiendus. *Arg. l. 2. §. In publico*; ff. *ad leg. Jul. de adult.* ubi dicitur: Si mulier viro de adulterio ipsam accusante crimen lenocinij obijciat, quod consenserit in adulterium ipsius, & ipsam adultero tradiderit, licet mulier per hoc non excusetur, tamen maritum ob lenocinium puniri posse: idque maximè procedit, si testis crimen causæ connexum sponte confiteatur. *Gl. fin. in cit. c. 1. h. t.* Putant tamen nonnulli DD. valde probabiliter, quod talis testis nec pœnâ extraordinariâ plecti possit; quia, quando nullum iudicium est institutum præcedentis accusationis, vel saltem inquisitionis, nullus est puniendus: neque ex eo, quod in hoc *c.* dicitur: Testis non potest puniri pœnâ ordinariâ: sequitur, posse puniri pœnâ extraordinariâ; ut colligitur ex verbis immediate subjectis: *sed eius duntaxat testimonio non creditur*: adeoque in illo iudicio nullâ aliâ pœnâ plectendus est, quamvis is puniri possit, præcedente accusatione, vel inquisitione. *Fachin. lib. 13. contro. c. 43. Barb. in Collect. in cit. c. 1. n. 4. h. t.*

§. IV.

An, & qualiter Iudex certum terminum statuere possit, intra quem exceptiones dilatoria, vel etiam peremptoria proponi debeant?

» XXVI. Assertio 1. Quoniam per dilatorias
» exceptiones causæ in iudicio nonnunquam mali-
» tiosè protrahi solent: ideo intra certum tempus à
» Iudice assignandum, omnes exceptiones dilatoriæ
» opponi debent, ita, ut, si partes postea (id est, post
» terminum statutum à Iudice, & finitum) aliquas
» opponere voluerint, non audiantur, nisi priùs pro-
» testatæ fuerint: vel, nisi exceptio aliqua de novo
» emergat parti competens: vel, nisi is, qui opponere
» vult, juramento asserat, se postea ad illius noti-
» tiam pervenisse. Ita statuit Innocentius III, in

c. Pastoralis; 4. *h. t.* Ratio decisionis est; quia lites sunt amputandæ, & intra competentem terminum expediendæ. *c. Finem*; 5. *de dolo, & contum. l. Properandum*; 13. *in princ. C. de iudic.* Idque procedit, tametsi litem nondum sit contestata; quia præfixio termini habet vim litem contestationis: terminus enim ab homine, videlicet à Iudice statutus, succedit in locum termini statuti à Jure. *Arg. c. Personas*; 4. & *c. seq. de appellat.* sicut ergo exceptiones dilatoriæ regulariter ante litem contestationem opponi debent: ita quoque, si terminus à Iudice præfixus sit ijs proponendis, intra eundem proponi debent; nec postea amplius proponi possunt, etiamsi litem non sit contestata. *Abb. hic n. 15.* Potest autem Iudex terminum ad opponendas exceptiones dilatorias Reo præfigere, non tantum ad petitionem Actoris, in cuius favorem principaliter assignatur talis terminus, sed etiam ex officio suo, quia boni Iudicis est lites dirimere, & malitiis hominum obviare. *Abb. hic n. 26.*

XXVII. Excipiuntur tamen in *cit. c. Pastoralis*; tres casus, in quibus etiam post terminum elapsum, proponi possunt exceptiones dilatoriæ. Veluti Primò, si Reus priùs protestatus sit, quod falsè sibi manere debeant aliæ exceptiones, quæ nominatim, & in specie exprimendæ sunt, & quidem in scriptis; sed postea suo tempore, & loco probandæ erunt: nec sufficit in genere dicere: Salvis aliis exceptionibus, quæ sic per hanc constitutionem non esset satis provisum abbreviandis litibus. *Gl. hic V. Protestata*; & *Abb. n. 17.* Secundò, si post terminum ad opponendas dilatorias exceptiones statutum, & elapsum, vel etiam post litem contestatam, aliqua exceptio de novo oriatur. *Arg. c. Insinuante*; 25. *de offic. deleg. ubi habetur*, quòd, si unus litigantium factus sit familiaris, seu domesticus iudicis, is, ut suspectus recusari possit: & ratio est; quia, quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio. *Gl. hic V. De novo.* Tertio, si tempore termini assignati competeat quidem exceptio Reo, sed ignorabat, eam sibi competere: quo casu excipere volens juramentum edere debet, quòd malitiosè non excipiat, videlicet litem protrahendæ gratiâ, sed, quòd postea primùm eius notitiam acceperit. Idemque est, si post litem contestatam primùm excipere volens pervenerit in notitiam exceptionis sibi competentis, dummodo antea probabiliter, seu inculpabiliter ignoraverit, eam sibi competere: aliàs secus; sed tunc id negligentia suâ imputare debet. *Abb. hic n. 23.* & sic intelligenda videtur *Gl. in cit. c. Pastoralis*; *V. Postmodum*; quando ait, quòd, si Reus post litem contestatam pervenerit in notitiam exceptionis, non debeat amplius audiri; quia ab initio debebat inquirere de huiusmodi exceptionibus dilatorijs: nam id verum est, si culpabiliter ignorabat. Addit tamen *Gl. ibid. in fine*, quòd in tertio casu exceptio dicitur, id habere locum in exceptionibus facti, non juris, id est, si excipiens ignoravit factum, v. g. Judicem, quem recusari suspexit, consanguineum esse Actoris; sed, si ignoravit, eum propter hoc recusari posse; ipsi imputabitur, quia jus ignorare non licet. *Gl. margin. ibid. lit. C.*

XXVIII. Porrò præter tres allatos, addunt DD. alios casus, in quibus post terminum à Iudice assignatum, & finitum; adeoque etiam post litem contestatam, exceptiones dilatoriæ opponi possunt. Veluti Primò, si exceptio quidem, tempore assignati ter-

mihi, Reo competeat, sed tum probari non poterat, cum tamen postea probandi facultas fuerit acquiritur: paria enim sunt non competere exceptionem, & eam probari non posse. *Arg. c. Vi circa; 4. ibi; supervenit probandi facultas de elect. in 6. Abb. in cit. c. Pastoralis; num. 3.* Secundò. Exceptio de incompetencia Iudicis, si talis sit Iudex, in quem pars litigans consentire non potest, v.g. Clericus in Iudicem laicum, etiam post terminum à Iudice præfixum, opponi potest; imò etiam post latam sententiam; quia hæc est exceptio nullitatis, ob defectum scilicet jurisdictionis, cuiusmodi exceptio semper opponi potest. *Abb. c. l. num. 16.* Tertiò. Exceptio mixta, v.g. litis finitæ; quamvis non sit opposita per modum dilatorie, ad impediendum processum iudicij, nihilominus tamen potest opponi postea per modum exceptionis peremptoriae ad infringenda merita causæ; ut constat ex *c. 1. de litis contest. in 6. de quo actum supr. tit. 5. num. 25.* Quartò. Si exceptiones propositæ à Reo sint contrariæ, quæ simul consistere non possunt; adeoque etiam nec post terminum finitum probari potest exceptio incompatibilis; quia respectu huius illud tempus non currit, *Arg. l. Contra; 16. C. de inoffic. testam. ubi habetur: Quando actiones simul cumulari non possunt; tum unâ motâ, non currit tempus in alia: veluti primò, si quis agat, quòd testamentum sit nullum: sed adiungat, si sit perfectum, esse saltem inofficiosum; potest etiam post quinquennium proponere querelam inofficiosi; quia respectu huius non currit tempus illud quinquennij, ubi *Gl. marg. lit. C. allegato hoc c. Pastoralis; ait, quòd habens duas exceptiones (scilicet, quæ simul probari non possunt; quia sunt contrariæ) ad aliam transire possit, si in una succumbat: nullus enim prohibetur pluribus exceptionibus uti. Reg. jur. 20. in 6. de quo infra.**

XXIX. Quintò. Exceptio excommunicationis dilatorie (scilicet contra Actorem ad differendam litem, donec ab illa fuerit absolutus) in qualibet parte litis in causa principali opponi potest, non obstante termino peremptorio à Iudice assignato ad proponendum exceptiones dilatorias, & declinatorias; prout decernitur in *Clement. Excommunicationis: unic. h. t. ubi in fine additur, servatâ tamen Constitutione Papæ Innocentij IV. editâ circa hoc in Concilio Lugdunensi, quæ refertur in c. 1. h. t. in 6. de qua supra num. 19.* Ratio huius Constitutionis est; tum quia litis contestatio est quidam quasi terminus peremptorius, post quem regulariter non possunt opponi exceptiones dilatorie, ut supra dictum: & tamen etiam post litem contestatam opponi potest exceptio excommunicationis in qualibet parte litis. *c. Exceptionem; 12. h. t. c. 1. eod. in 6. & dictum supra: ergo etiam post elapsum terminum à Iudice partibus præfixum, & subrogatum loco litis contestationis, opponi potest hæc exceptio.* Tum quia sententia non præcludit viam exceptioni excommunicationis, *cit. c. 1. ergo multò minùs debet impedire eius oppositionem lapsus alicuius termini.* Tum quia Reo permittitur opponere hanc exceptionem ad vitandum peccatum, quod incurreret communicando cum actore excommunicato, *cit. c. 1. quæ ratio etiam locum habet, post terminum peremptorium assignatum à Iudice ad exceptiones dilatorias proponendas; ergo etiam idem jus est stam*

tuendum. Tum denique, quia indultum à jure beneficium non est alicui auferendum, *Reg. jur. 17. in 6. sed Ius indulget Reo, ut in qualibet parte litis opponere possit exceptionem excommunicationis contra Actorem: ergo non potest Iudex, præfigendo terminum peremptorium, hoc beneficium ei auferre. Gl. in cit. Clement. unic. V. Non obstante; h. t.*

XXX. Extenditur autem hæc Constitutio primò, ut locum habeat, etiam si nominatim, ac specificè à Iudice terminus datus sit ad proponendam exceptionem excommunicationis: nam nihilominus poterit à Reo, post illum elapsum, opponi; quia non potuit Iudex hoc beneficium juris ei auferre. *Gl. in cit. Clement. un. V. Non obstante; c. ibid. Abb. n. 2.* Extenditur secundò, ut procedat, etiam si quis iuraverit, se non oppositurum exceptionem excommunicationis contra Actorem: nam hoc non obstante, illam opponere potest; quia hæc exceptio non concernit simpliciter jus partis, sive privatum illius interesse, sed principaliter respicit salutem animarum, & publicum bonum Christianorum, ne incurrant peccatum communicando cum excommunicato, cui iuramento tenentur non potest, *Felin. in c. Exceptionem; 12. num. 15. h. t. Barbof. in Collect. in cit. Clement. un. num. 3. eod.* Extenditur tertiò, quòd exceptio possit opponi, non tantum contra Actorem, sed etiam contra procuratorem illius, vel contra Iudicem, non obstante lapsu termini. *Gl. in cit. Clement. unic. V. Dilatorie. c. Abb. n. 1.*

Illud hic addendum, quòd talis terminus à Iudice datus ad proponendas omnes exceptiones dilatorias, in dubio intelligitur esse peremptorius, etiam si id non exprimat, nisi aliud jus ipsum exprimat. *Abb. in c. Pastoralis; 4. h. t. n. 3. c. Gl. in cit. Clement. unic. 5. Peremptorio.* Est tamen in arbitrio Iudicis talem terminum, non tantum abbreviare, sed etiam prolongare; ut docet *Abb. in cit. c. Pastoralis; n. 2. c. 27. quia in Authent. Offeratur; C. de litis contest. in qua à jure datur terminus XX. dierum, & refertur in c. Inducias; 4. §. Offeratur; caus. 3. q. 3. agitur de termino dato ad deliberandum; num pars velit litem contestari, an cedere, vel Iudicem recusare, vel aliam exceptionem proponere: nec tenetur, vi illius termini, omnes exceptiones dilatorias simul proponere; at verò in c. Pastoralis; 4. h. t. datur terminus ad proponendum omnes exceptiones dilatorias, ita, ut postea non audiat amplius.*

XXXI. Assertio 2. An, sicut Iudex dilatorijs exceptionibus, ita etiam peremptorijs certum terminum assignare possit, quo elapso, tales exceptiones non admittuntur amplius, controvertitur inter DD. Negat *Gl. in cit. c. Pastoralis; V. Dilatorie; h. t. nam exceptiones peremptoriae opponi possunt, etiam post litem contestatam, donec in causa conclusum sit; adeoque quandoque ante sententiam. c. 1. de lit. contest. in 6. & tradit *Gl. Recepta; in c. Exceptionem; 12. V. In dilatorijs; h. t. atqui indultum à jure beneficium non est alicui auferendum. Reg. jur. 17. in 6.* Verum rectius distinguitur cum Dyno in *cit. reg. Indultum; n. 13. nam vel Iudex terminum exceptionibus peremptorijs præfixit, cum causæ cognitione, vel sine illa: si cum causæ cognitione; non potest Reus, post tempus à Iudice præfixum, exceptiones peremptorias proponere. Arg. l. 2. ff. de re judic. ubi tempus, quod indulgetur Reo per legem, potest Iudex limitare, cum causæ cognitione: si verò sine causæ cognitione tempus fuit à Iudice præfixum;**

tum etiam post illud elapsum, proponere potest Reus exceptiones peremptorias; quia, cum agatur de præiudicio gravi, si quis excludatur à peremptorijs, seu ad causæ merita pertinentibus exceptionibus proponendis, non potest sine iusta causa per Iudicem hoc iure suo privari; multò magis exceptiones hæc peremptoria proponi possunt, non obstante termino à iure præfixo, si postea primùm ortæ, vel cognita, vel facultas probandi eas data sit, idque propter gravius periculum, ac præiudicium, si parti denegentur. *Abb. in cit. c. Pastoralis; num. 8. & 9. h. t.*

§. V.

An, & qualiter alia nonnulla exceptiones opponi possint, vel non possint?

XXXII. Assertio 1. Is, qui habet plura beneficia, si contra alium excipiat de pluralitate beneficiorum, non est admittendus; prout sumitur ex *c. Cum Ecclesiasticæ; 3. h. t.* Nam, cum Pontifex Cælestinus III. Iacobo Clerico in Ecclesia Novariensi Canonicelem præbendam vacantem contulisset, eumque in corporalem illius possessionem induci iussisset; Canonici nolentes illum recipere in possessionem, exceperunt contra illum, quòd iam in alia Ecclesia beneficium possideret; idèoque etiam eundem ex mandato Papæ in possessionem inductum removere volebant: ad hoc respondit Innocentius III. Cælestini Successor, quòd Canonici non possint illi hanc exceptionem opponere, cum constet, etiam illos in diversis Ecclesijs plura beneficia obtinere. Ratio est; quia non debet quis in alijs reprobare, quod in se ipso approbat, & tolerat, neque alij obijcere impedimentum, vel defectum, quo simili ipse laborat. *Gl. mag. hic in notat.* Et quod quisque juris in alium statuit, eo & ipse uti debet. *c. Cum omnes; 6. de Constitut.*

XXXIII. Vbi notandum primò. Videtur hoc c. intelligendum esse de pluribus beneficijs compatilibus, quæ simul obtineri, & retineri possunt, non autem de incompatilibus, ita, ut obtento secundo vacet primum, quæ simul acquiri, & retineri nequeunt. *c. De multa; 28. de præbend. sine dispensatione Papæ, de qua tamen in hoc c. nulla fit mentio: adeoque non permisisset Pontifex Canonicos hos permanere in possessione huiusmodi beneficiorum iure communi incompatibilium. Quare probabile est, quòd Canonici isti allegarint statutum suæ Ecclesiæ, secundum quod nullus in Canonicum recipi potest, qui in alia Ecclesia beneficium obtinet; idèoque proponebant, Iacobum Canonicatum in Ecclesia sua à Papa subreptitè impetrasse, non faciendo mentionem de tali statuto. Verùm, quia & ipsi Canonici communiter, vel saltem plerique ex illis statutum illud non observarunt, videntur tacitè, & ipso facto illi renunciassè, illudque abrogare voluisse. *Arg. c. Cum accessissent; 8. de Constitut. & ideo non poterant contra Iacobum excipere, quòd Canonicatum obtinuerit contra prohibitionem statuti suæ Ec-**

clesiæ, à quo ipsi jam recesserant; non amplius illud observando. *Laym. in cit. c. 3. h. t.*

Notandum secundò. Si in casu huius c. Iacobo Clerico obiectum fuisset impedimentum ad obtinendum Canonicatum, ob pluralitatem beneficiorum incompatibilium iure communi, cui Canonici non poterant renunciare, vel illud abrogare: tunc, quamvis Canonici plura beneficia habentia non possent opponere huiusmodi impedimentum Iacobo, suo nomine, sive ob privatam commodum, & interesse: quod enim in suis personis aequam parabant, & in se ipsis tolerabant, in alijs non possunt reprobare: possent tamen, non obstante proprio iure, opponere tale impedimentum, nomine Ecclesiæ suæ, & in eiusdem utilitatem; nam per pluralitatem beneficiorum in diversis Ecclesijs impeditur continua residentia in una Ecclesia; & consequenter etiam Ecclesiastica officia in illa rite peragi non possunt; neque delictum personæ debet nocere Ecclesiæ. *Arg. jur. 76. in 6. Imola hic num. 3. & 4. Felin. ibid. contra Abb. ibid. num. 9.* nam ad avertendum Ecclesiæ damnum quilibet admitti debet ad agendum, & excipiendum. *Arg. c. Si quis; 6. de reb. Eccl. non alien. l. Si quis; 3. §. Hi quoque; ff. de SC. Silvanic.* Neque obstat regula illa juris 84. in 6. Quod unà vi prohibetur alicui, ad id alià non debet admitti: ut qui in proposito Canonici prohiberentur excipere suo nomine, ad quod tamen admitterentur, nomine Ecclesiæ: nam id intelligi debet, nisi ratio aliqua suadeat oppositum, nempe, ut admittatur alià vi: ut verò Canonici, qui non habent plura beneficia, possunt admitti ad excipiendum, non solum nomine Ecclesiæ, sed etiam suo nomine; quia in illis cessat ratio prohibitionis, cur proprio nomine admitti non possint. *Imo/ac. l. num. 4.*

XXXIV. Assertio 2. Pro defensione Ecclesiæ suæ potest quis opponere exceptionem excommunicationis, periurij, vel aliam legitimam exceptionem, nec sic excipiens vicissim per replicationem excommunicationis, vel periurij repelli potest; prout sumitur ex *c. Dilecti; 8. h. t.* Nam, cum Marcus in Priorem Ecclesiæ Grandenensis electus fuisset, tres Canonici eiusdem Ecclesiæ se opposuerunt huic electioni: quare Marcus electus Iudices delegatos à Pontifice impetravit contra illos: coram his comparentes Canonici exceperunt contra Marcum, quòd esset excommunicatus, & criminis periurij Reus: ac proinde non admitti debeat ad agendum in Iudicio. Verùm electus replicavit, duos ex illis Canonicis etiam esse excommunicatos, tertium autem periurum; idèoque ipsorum exceptionem esse rejiciendam: contra opposuit procurator trium Canonicorum, replicationem istam recipi non debere; quia, tamen probata fuerit, nempe, quòd duo ex Canonicis sint excommunicati, tertius verò periurus, non tamen essent propterea à defensione Ecclesiæ suæ repellendi. Accedit, quòd discrimen fit inter obiectam exceptionem, & vicissim oppositam replicationem; quia, si exceptio contra Marcum electum probata fuerit, eum repelleret agendum: at verò replicatio etsi probata fuerit, non repellit Canonicos à defensione Ecclesiæ. Nihilominus tamen Iudices interlocutoriè pronunciarunt (sed male. *Gl. hic V. Interlocuti*) prius recipiendas esse probatio-

nes super replicatione. Sed Marcus electus contra hanc interlocutionem appellavit ad Papam Innocentium III. qui respondit, si ita se res habeat, irritum revocanda esse, quæ post appellationem gestæ sunt. Ratio decisionis est, quia, sicut se habet exceptio ad actionem, ita replicatio se habet ad exceptionem: sicut ergo omnis exceptio (videlicet peremptoria) debet necessariò excludere actionem, siue intentionem, & jus agentis: ita omnis replicatio debet oppositam exceptionem elidere. *l. 2. in princ. & §. 1. & 2. ff. h. t. alioquin tanquam inutilis, seu inefficax rejicienda est. Abb. hic in princ. & n. 9.* quare quemadmodum exceptio, quæ non excludit actionem, ita & replicatio, quæ non excludit exceptionem, repelli debet; alioquin contra Judicem appellari poterit: nam generatim loquendo, nemo admitti debet ad probandum id, quod probatum non relevat. *l. Ad probationem; 21. C. de probat. ubi Gl. V. Non convenit;* ait: Id debet quis probare, quo probato, adjuvatur: sicut autem exceptio non adjuvat excipientem, nisi actionem excludat, ita nec replicatio replicantem, nisi exceptionem elidat. At verò in casu huius *c.*, replicatio contra opponentem exceptionem, etiam probata, non adjuvat replicantem; quia non excludit exceptionem, siue non impedit, quò minus Canonici exceptionem contra electum opponerè, eaque probatà, illum ab agendo repellere possint, ad defendendam Ecclesiam suam, ne indignus admittatur ad Prælaturam. Unde, quamvis probatum fuisset, quòd Canonici isti sint excommunicati, vel perjuri, adhuc potuissent excipere contra electum; quia etiam excommunicatis, vel criminosis licitum est, tam se, quam Ecclesiam suam defendere. *Gl. hic V. Interlocuti.*

XXXV. Hinc inferitur, si electus Prælatum, aut Rector Ecclesiæ petat confirmationem; & Canonici, vel Clerici eiusdem Ecclesiæ se opponant, & inhabilem ipsum esse, allegent, non possunt hi per exceptionem excommunicationis, vel criminis repelli. *Gl. hic V. A defensione;* ut colligitur ex hoc *c.* in quo Canonici prius se opposuerunt contra electionem Marci, qui causam ad Romanum Pontificem detulit, & Rescriptum ad delegatos Judices impetravit, coram quibus institutà actione confessoria, petijt, ut declaretur, se legitime electum fuisse; sed Canonici ad repellendum eum ab actione excipiebant contra illum, quòd sit excommunicatus, & perjurus. Verùm hanc exceptionem per replicationem, quòd etiam Canonici sint excommunicati, vel perjuri, non posse elidi, ait hic Pontifex; quia, etiamsi id probatum fuerit, nihilominus possunt Canonici ad defendendam Ecclesiam suam contra electum excipere. Accedit, quòd non relatione criminis, sed innocentia suà purgatur Reus. *l. Neganda; 19. C. de his, qui accus. non poss.*

Verùm his ob stare videtur textus in *e. Exhibita; 19. de judic.* Ubi, cum Canonici se opponerent contra electionem Episcopi, electus contra eos excepit, quòd sint excommunicati; & tamen exceptio admissa fuit. Resp. autem cum *Gl. ibid. V. Excommunicationem;* casus esse diversos; quia Canonici ibi ultro agebant contra electum, ad infirmandam electionem illius; ideòque per oppositam exceptionem excommunicationis repulsi sunt ab agendo,

cum excommunicatus non possit agere in iudicio; at verò in casu huius *c.* ipse electus confirmationem petebat, agendo contra Canonicos; ut declararetur legitime electus; cui se aliqui Canonici opposuerunt ad defendendam Ecclesiam suam, obijcientes ipsi exceptionem excommunicationis, & perjurij; contra quos non admittitur replicatio excommunicationis, vel criminis: nam, si excommunicatus, vel criminofus se opponere potest pro defensione juris proprii, cum non repellatur à defensione multò magis poterit se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ, ne indignus Prælatum eligatur: quamquam tali casu, si alij adessent non excommunicati, vel non criminofos; qui se opponere vellent, pro defensione Ecclesiæ, & probare, ipsum esse inhabilem, utique illi præferendi essent.

XXXVI. Assertio 3. Exceptio rei judicatæ non competit Reo absoluto per sententiam Judicis; quia rem non amplius possidet, si postea rem iterum possideat; prout sumitur ex *c. Adversario; 13. h. t.* ubi statuitur, Si Titius per rei vindicationem petijt à Caio restitui sibi ædes v. g. quas tempore litis contestatæ Caius possidebat, sed postea, absque dolo, vel culpa sua, desijt possidere; ideòque per Judicis sententiam fuit absolutus; deinde verò post latam sententiam, Caius eisdem ædes iterum possidere incipiat; non potest Caius contra Titium de novo eas vindicare volentem opponere exceptionem rei judicatæ, siue, quòd per Judicis sententiam jam fuerit à petitione Titij absolutus, sed eas restituere debet.

XXXVII. Notandum primò. Is, qui tempore litis contestatæ rem possidet; postea verò tempore latæ sententiæ non amplius possidet; conventus actione reali, siue rei vindicatione, non potest condemnari, sed absolvi debet, juxta *l. Sin autem; 27. §. Possidere; ff. de rei vindic.* ubi dicitur: Possidere aliquis debet, utique & litis contestatæ tempore, & quo res judicatur, vel saltem tempore latæ sententiæ, et si prius non possideret; ut notat *Gl. ibid. V. Indicatur;* *Gl. hic V. Tempore morte litis;* & *Abb. num. 2.* cuius ratio est; quia per sententiam debet Reus condemnari ad rem restituendam: non potest autem eam restituere, si non amplius habeat, seu possideat; adeòque neque ad id per sententiam condemnari, sed absolvi debet. Non requiritur autem iusta, & legitima possessio, sed sufficit nuda rei detentio. *Abb. hic n. 5.*

Excipitur primò. Nisi Reus conventus dolo, vel latà culpà (quæ dolo æquiparatur) desierit possidere: tunc enim non absolvendus, sed condemnandus est ad rem restituendam, vel eius estimationem, perinde, ac si possideret. *l. Quod si; 12. ff. de rei vindic. l. 1. junctà Gl. V. Culpam; C. Depositi;* nam pro possessore habetur, qui dolo desijt possidere. *Reg. jur. 36. in 6.* ideòque etiam utili in rem actione, seu rei vindicatione potest conveniri. *l. Electio; 26. §. Si is, quem; ff. de noxalib. actio. Abb. hic num. 6.* Porro, quòd quis dolo desierit possidere, adversarius probare debet; siue agendo, siue excipiendo, dolum admissum esse, dicat; nec enim dolum præsumitur, nisi probetur. *l. Quoties; 18. ff. de probation. & ibi Gothofr.* nisi quis desierat possidere, post litem contestatam; tunc enim præsumit-

tur dolo defuisse possidere; ut tradit *Gl. hic V. Sine dolo*; vel etiam post citationem, cui tenor libelli insertus fuit. *Alexand. de Nevo hic num. 4.*

Excipitur secundò. Nisi is, qui dolo, sive culpa suã defijt possidere, pro re vendita v. g. pretium acceperit: tunc enim illud Dominò rei, si illam recuperare non possit, restituere debet; quia pretium succedit loco rei; ut colligitur ex *l. Item, si; 15. S. Si quis; ff. de rei vindic.*

XXXVIII. Notandum secundò. Si ille, à quo res per rei vindicationem fuit petita, fuerit absolutus; quia cessavit causa, ob quam sententia absolutoria lata fuit; tunc non competit exceptio rei vindicatae contra Actorem; ut in casu *cit. c. pen. h. t.* Reus fuit per sententiam absolutus; quia rem tempore latae sententiae non possidebat; ideo, si postea denuo possidere rem incipiat, potest iterum eadem actione reali, seu rei vindicatione conveniri, ut rem restituat, nec repelli potest Actor per exceptionem rei indicatae, sive sententiae priùs latae, quò minus Reus rem restituere debeat: similiter, si quis sub conditione, vel in certum diem promissit, se quidpiam daturum, & Reus conventus per sententiam Iudicis absolutus fuit; quia conditio non venit, vel dies nondum advenit, non potest, si postea conditio evenierit, vel dies advenit, se defendere, opponendo exceptionem latae sententiae. *Abb. hic num. 4.*

Notandum tertio. Qui per rei vindicationem petit rem suam, duo debet probare, nempe ex parte sua dominium, & ex parte rei possessionem. *l. Officium; 9. C. l. In rem; 23. ff. de rei vindic.* ita, ut, si utrumque simul non probaverit, Reus absolvatur. Vbi tamen distinguendum est: nam, si Reus absolutus fuit; quia tempore latae sententiae rem non possidebat; tunc, si postea iterum rem possidere incipiat, potest Dominus ab illo eam vindicare, sicut à quovis alio possessore. At verò, si Reus, non ex defectu possessionis, sed quia Actor dominium non probavit, fuit absolutus; tunc non potest Actor per rei vindicationem iterum petere restitui sibi rem; quia, licet non deficiat possessio, ex parte Rei, deficit tamen dominium, ex parte Actoris: unde, quamvis denuo probare illud voluerit, repellitur per exceptionem rei indicatae. *Abb. hic num. 10. Felin. num. 4. Barb. in Collect. ibid. num. 2.*

XXXIX. Assertio 4. Exceptio rei indicatae, sive sententiae latae per Iudicem Ecclesiasticum, in causa mixti fori, potest opponi coram Iudice seculari, ab eoque admitti debet: & è converso, exceptio sententiae latae per Iudicem secularem potest opponi coram Iudice Ecclesiastico; prout deciditur in *c. Quidam; 2. C. ult. h. t. in 6.* ubi statuitur: si Titus laicus, in causa, cuius cognitio ad Iudicem, tum Ecclesiasticum, tum secularem, de jure, vel consuetudine (ex quo patet, quòd etiam consuetudo det jurisdictionem; ut notat *Gl. hic V. Consuetudine*) pertinet, per Iudicem Ecclesiasticum à petitione adversarij fuerit absolutus (ut quia v. g. in contractu mutui juramentum intervenit, ratione cuius talis causa etiam ad forum Ecclesiasticum spectat) & Reus postea coram Iudice seculari conventus super eadem causa, opponat exceptio-

nem rei indicatae, sive sententiam absolutoriam pro se jam latam esse à Iudice Ecclesiastico; tum à Iudice seculari hanc exceptionem (sicut de jure convenit) admittere debet, & ad id ab Ordinario Ecclesiastico per censuram cogi potest. Similiter & Iudices Ecclesiastici, si coram ipsis opponatur exceptio rei, seu causae à Iudice seculari indicatae, eam admittere debent, nisi animarum periculum vertatur: alioquin, si non admiserint, cum deberent, per Superiores suos Ecclesiasticos punitendi sunt, & ad id compellendi.

XL. Hinc colligitur primò. Quòd sententia lata à Iudice competente (ad quem scilicet pertinet cognitio causae, & pronuntiatio per sententiam, seu decisio causae. *Gl. hic V. Cognitio*) inter eadem personas, & in eadem causa (*Gl. hic V. Admitti*) admitti etiam debeat ab alio Iudice competente, quavis diversi fori sit, & jurisdictionis, *Ancharan. hic not. 3. Franc. num. 2.* Ratio est; tum quia per sententiam Iudicis jus parti acquisitum est, pro qua lata est sententia, quòd jus alius Iudex habere, vel auferre ei non debet; tum quia, nisi unus Iudex servaret legitimam sententiam alterius, derogaretur jurisdictioni illius, eaque in contemptum deveniret, ut innuitur in hoc c. Idque maximè procedit, si sit de Iudice Ecclesiastico, & seculari, quorum fora, & jurisdictiones, licet diversae sint, debent tamen se invicem adjuvare, & mutuo jura sua defendere. Excipitur: nisi sententia lata à Iudice seculari iuncta sit cum periculo animae: tunc enim Iudex Ecclesiasticus non debet admittere exceptionem rei indicatae per illum. *cit. c. 2. ibi: in his, quae animarum periculum non inducunt;* quia, ut ait *Gl. ibid. V. eod. tunc Canon tollit legem. Franc. hic num. 2. not. ult.* Et hinc etiam Iudex Ecclesiasticus non debet ex, qui sententiam Iudicis secularis, ante quam cognoscatur, an ex ea non sequatur periculum animae. *Ancharan. hic not. 4.*

Colligitur secundò, Iudex Ecclesiasticus potest compellere, per censuras Ecclesiasticas, monitione praemisã, Iudicem secularem, ut admittat exceptionem rei in suo foro indicatae: sed vice versa non potest Iudex secularis, qui indicavit, cogere Ecclesiasticum Iudicem non admittentem exceptionem rei indicatae per ipsum; quia secularis Magistratus, quippe inferior, non habet jurisdictionem in Ecclesiasticos: sed hi ad id compellendi sunt, & puniendi per suos Superiores Ecclesiasticos, videlicet Episcopi per Archiepiscopos, & sic de ceteris. *Gl. hic V. Per Superiores; Ancharan. not. ult.*

XL I. Assertio 5. Si quis exceptionem declinatoriam jurisdictionis, vel similem dilatoriam opponat, eaque non admittatur; ideòque appellet contra Iudicem; tunc probare debet coram Iudice appellationis, exceptionem esse veram; quo probato, Iudex declarabit quidem, appellationem esse legitimum, sed non debet cognoscere de causa principali; prout sumitur ex *c. Olim; 7. h. t.* ubi habetur, quòd Guilielmus Nobilis coram legato à Papa, Archiepiscopo Trevirensi, citatus comparuit, & exceptio-nem fori declinatoriam proposuit, quòd ultra duas dietas extra suam Dioecesin ad iudicium traheretur: (contra Constitutionem Concilij Lateranensis in c. 2.

Nonnulli; 28. de rescript. hodie verò ultra unam dietam, seu unius diei iter trahi non potest. c. Si- rum; 11. §. Cum verò; eod. in 6.) sed, cum Archi- episcopus delegatus exceptionem istam admittere nollit, Guilielmus ad Sedem Apostolicam appel- lavit. Quare Papa Honorius III. causam hanc Abbati S. Laurentij, & Coniudicibus delegavit, (ut habetur in integra lectione huius c.) coram quibus contra exceptionem Guilielmi replica- tum fuit, quòd is ultra duas dietas extra tuam Diocesim, non traheretur, quandoquidem locus partibus ab Archiepiscopo designatus ultra duas dietas à Diocesi appellantis non distaret. Re hac de- lata ad S. Pontificem, ipse per aliud Rescriptum de- legationis mandavit aliis duobus Abbatibus, ut, si Guilielmus appellans, vel eius procurator pro- baverit exceptionem suam, quòd ultra duas die- tas ad Iudicium tractus fuisset, contra Constitu- tionem Generalis Concilij, appellationem eius legitimam fuisse, decernerent, sed causæ principalis cognitione superseant.

XLII. Ratio autem, cur Iudex appellationis non possit cognoscere super causa principali, est; quia, cum Iudex, ad quem appellatum est, succedat Iudici, à quo appellatum fuit, de eo tantum debet cognoscere, super quo appellatum fuit: sed Iudex, à quo super meritis causæ principalis nihil cognovit: ergo neque Iudex appellationis de ijs debet cogno- scere. Alex. de Nevo hic num. 13. Ex quo patet: hunc intellectum huius c. quòd isti, ad quos scri- ptum est, fuerint Iudices appellationis, & non meri executores, esse magis notabilem, & veriore. Abb. hic num. 1. & 7. nam, si sic scriptum esset ad exe- cutores, Papa non mandasset eis, ut decernerent, ap- pellationem esse legitimam; quia hoc non pertinet ad eorum officium, sed solum debent cognoscere, num sententiam exequi debeant, an non? Excipi- tur, nisi Iudici appellationis, si sit Iudex delegatus, cognitio causæ principalis expressè fuerit commissa, juxta c. Ex parte; 67. de appellat. Porro, quæ in hoc e. traduntur de dietis, jam explicata sunt suprâ lib. 1. Tit. 3. sec. 5. §. 2. n. 135. & seqq.

XLIII. Assertio 6. Si per exceptionem sus- pensionis ab officio, & beneficio, contra quam repli- catur, quòd sententia talis suspensionis nulla, & irri- ta fuerit, retardetur ordinatio, seu provisio Eccle- siæ; tum absolutio à Superiore facienda est ad cau- telam; prout sumitur ex c. Apostolica; 9. h. t. Nam, postquam novus Archiepiscopus Pragensis electus esset, & aliqui eius electionem impedire vellent, ne confirmaretur, duo Canonici ad Sedem Apo- stolicam se contulerunt, ut causam electionis huius promoverent, & confirmationem electi pe- terent. Sed objectum illis fuit, per modum ex- ceptionis, quòd sententiæ suspensionis, imò & amotionis, seu depositionis à beneficiis in ipso latæ fuerint; ideòque non possint agere in judi- cio, seu petere, ut electus confirmetur. Tunc Canonici replicarunt, quòd censura, seu senten- tiæ contra ipsos latæ irritæ fuerint; & ad id pro- bandum per idoneos testes, & instrumenta se ob- tulerunt. Hoc intellecto, respondit Gregorius IX. ne Ecclesiæ Pragensis ordinatio, seu provisio per eiusmodi objectionem, seu exceptionem diu-

rius retardetur, se sententias illas relaxare ad cau- telam.

XLIV. Ubi notandum primò. Quamvis hi Canonici, posito, quòd fuerint per suspensionem ab Officio, & depositionem à beneficio legitimè privati jure Capitulari, videlicet Canonicali suo, non potue- rint nomine proprio agere in iudicio, pro causa ele- ctionis, ut ea confirmetur; cum enim tunc sint sus- pensis per sententiam hominis ab officio, & benefi- cio, non censetur interesse eorum, tunc agere pro Ec- clesiæ ordinatione, seu provisione: possunt tamen agere ex mandato Capituli, sive, ut eius procurato- res, cum propter suspensionem ab officio, vel priva- tionem beneficii non sint amoti, seu privati com- munionem fidelium. Gl. hic V. Contingeret; in fine, Abb. ibid. n. 4. & 6.

Notandum secundò. Ob utilitatem Ecclesiæ, ne eius ordinatio, seu provisio retardetur, cum de- trimento eius in spiritualibus, vel etiam temporalibus, potest Iudex Ordinarius, seu Prælati Ecclesia- sticus ex officio, etiamsi id non petatur, non solum à sententia excommunicationis, sed etiam suspen- sionis absolvere, & relaxationem illius impertiri. Arg. c. Veniens; 38. in fine de testib. exacto prius ju- ramento parendi Ecclesiæ mandatis, si constiterit, sententias iuste latas esse. Abb. hic n. 1. solet autem huiusmodi absolutio, seu relaxatio fieri, quando du- bium, & incertum est, num censura excommuni- cationis, vel suspensionis contracta sit, necne; ut in casu huius c. quia Canonici negabant sententias il- las contra se validè latas esse, idque statim cognosci non poterat, nec diu differri provisio Ecclesiæ, sine eiusdem detrimento; ideo à Papa impertita est ab- solutio à censura, eiusque relaxatio ad cautelam. Postea verò, si constiterit de nullitate suspensionis, ij. qui invalidè sunt suspensi, à censura absolutè sunt absolvendi: alioquin verò, nisi prius satisfecerint, absolvi non debent simpliciter. Abb. hic n. 1.

§. VI.

An excipiens confiteri videatur de iure adversarij, & an quis in Iudicio pluribus, usque contrariis ex- ceptionibus uti possit?

Restant adhuc duæ istæ quæstiones examinan- dæ in hoc Titulo, ad quas respondebimus in seqq. assertionibus.

XLV. Assertio 1. Is, qui contra adversarij intentionem excipit, non ideo eam fateri censetur. juxta Reg. juris; 63. in 6. ubi dicitur: Exceptio- nem obijciens non videtur de intentione adversarij confiteri: idemque constat ex l. Non utique; 9. ff. h. t. Exemplum habetur in c. Cum venerabilis; 6. h. t. Ubi talis casus proponitur. Episcopus Sa- binensis litem habuit, coram Auditoribus ab In- nocentio III. deputatis, cum Monasterio Far- senensì super Ecclesia S. Viti, quam unâ cum possessionibus, & pertinentiis suis, tam in spiri- tualibus, quam temporalibus, dixit ad se pertine- re,

absolutio-
eastico; tum
sic de iure
ab Ordinario
est. Similiter &
opponatur ex
alari iudicatur
um periculum
at, cum debe-
ticos puniendi

Quòd senten-
tem scilicet peri-
per sententiam,
inter eadem
c. V. Admitti) ad-
mpetente, quam
S. Ancharan. lib.
um quia per sen-
est, pro qua la-
x ledere, vel au-
uus Iudex ter-
us, derogatur
ptum deventur
procedit, si ter-
seculari, quorum
e sint, debent ra-
dura sua defen-
ata à Iudice secu-
tunc enim Iudex
exceptionem rei
in h. q. que animi-
ait Gl. h. t. V.
hic num. 2. ut
is non debet era-
quam cognoscat,
nimæ. Ancharan.

Ecclesiasticus pos-
easticas, moni-
ur admittat er-
sed vice versa
dicavit, cogere
rentem exceptio-
ecularis Magistra-
iurisdictionem in
endi sunt, & pu-
asticos, videbent
c de ceteris. Gl.
or. ult.

exceptionem de-
ilem dilatoriam
ideòque appellet
per coram Iudice
am; quo proba-
ationem esse lega-
le causa principa-
bi habetur, quòd
i Papa, Archie-
re, & exceptio-
quòd ultra duas
um traheretur:
terantis in c.
Dicitur

re, ideoque sibi restitui petijt. Sed procurator
 Monasterij, nondum fundatâ Episcopi intentio-
 ne, prope respondit: etsi Ecclesia olim fuerit
 Ecclesiâ Sabinensi subjecta, quod tamen eam E-
 piscopus vindicare non possit; quandoquidem sub
 causa, seu titulo permutationis ad Farsenense Mo-
 nasterium sit translata, & ad hoc probandum exhi-
 buit instrumentum, in quo contineri videbatur,
 quod Theodorus Episcopus Ecclesiam S. Viti pro
 quibusdam Ecclesiis, & rebus aliis (scilicet spiritua-
 libus. *Abb. hic n. 4.*) accedente consensu Canonicorum,
 permutando, Monasterio concesserit. Tunc
 verò Episcopus proposuit intentionem suam in hac
 ipsa responsione esse fundatam: cum enim procura-
 tor Monasterij fateatur, Ecclesiam S. Viti ab Epi-
 scopo, titulo permutationis, ad Monasterium per-
 venisse; per consequens confitetur etiam tempore
 permutationis factâ, dictam Ecclesiam ad Sabinen-
 sem Episcopum pertinuisse: cum enim permutatio
 inter contractus bonâ fidei numeretur, non nisi
 cum Domino, vel eo, qui loco Domini est, legitime
 celebrari potest. Sed Procurator Monasterij repli-
 cavit, cum id à se objectum, ac dictum fuerit solum
 per modum exceptionis, ideo non esse censendum,
 se de adversarij intentione fuisse confessum: nam
 juxta legitimas sanctiones, qui exceptione utitur,
 non reputatur de intentione adversarij confiteri;
 prout habetur in integra lectione huius c. Postea
 Episcopus testes produxit, per quos videbatur pro-
 bare, quod Episcopi Sabinenses Ecclesiam S. Viti, &
 molendina, terras, ac alia bona ad illam pertinentia
 diu possederint, de illis pro suâ voluntatis arbitrio
 disponentes. His intellectis, Innocentius III. re-
 spondit, quod Episcopus intentionem suam, nec
 per testium depositiones fundarit, nec per confes-
 sionem Procuratoris; quia obijciens exceptionem
 non propterea de adversarij intentione censetur
 esse confessus. Sed neque ex instrumento intentio
 ipsius probatur: nam, licet in eo dicatur, quod per-
 mutatio cum Theodosio Episcopo instituta fuerit,
 non tamen dicitur, eum fuisse Episcopum Sabinen-
 sem: quamvis hoc in transumpto illius instru-
 menti, quo procurator usus fuit, adjectum fuerit
 per vitium falsitatis. Verum, quia delictum per-
 sonæ (videlicet falsantis instrumentum) in damnum
 Ecclesiæ redundare non debet: & exceptio fal-
 sitatis, non tantum ante, sed etiam post senten-
 tiam obijci potest; eò quod sententia lata ex fal-
 sis instrumentis usque ad viginti annos rescindi
 potest, si de veritate constiterit: sequitur, ex his
 nullam Ecclesiæ in spiritualibus præjudicium in-
 ferri posse. Quia verò dicta Ecclesia S. Viti in-
 tra Dioccesin Sabinensem est posita; ideo jus Epi-
 scopale eidem Episcopo adjudicatur, cum nec
 per privilegium, nec per legitimam præscriptio-
 nem probetur exempta: exceptis tamen quibus-
 dam, quæ per Authentica scripta ostensa sunt, ab
 Episcopi jurisdictione esse liberata: sed quoad
 temporalia, quamvis Episcopus ostenderit, se bo-
 na illius Ecclesiæ aliquamdiu possedisse; quia ta-
 men non probavit, se illa legitime præscripsisse;
 ideo Monasterium, quoad temporalia eiusdem Ec-
 clesiæ, ab impetitione Episcopi per sententiam ab-
 solvi debet.

XLVI. Pro explicatione huius c. Notandum
 primò. Potest Episcopus, institutâ rei vindicatione,
 non quidem directè, & propriè dictâ, cum loca
 sacra, quasi nostra, in rem actione peti, seu vindicari
 non possint; *l. In rem; 23. §. 1. ff. de rei vindicatione.*
 sed indirectè, seu utili reperere jus sibi
 competens in Ecclesia, cuius quasi possessionem ante-
 sit; ut docet *Innocent. in c. Cum venerabilis; 7. n. 2.*
de relig. domib. ut in casu huius c. Episcopus Sabinen-
 sis petijt à Monasterio sibi restitui Ecclesiam S. Viti,
 cum suis possessionibus, & pertinentijs, afferens, ad
 se in spiritualibus, & temporalibus, jure dominij,
 aut quasi dominij pertinere; quod tamen probare non
 poterat.

Notandum secundò. Excipiens contra intenc-
 tionem adversarij non censetur illam fateri; ut ha-
 betur in hoc c. Ratio est; quia hoc ipso, quod Reus
 litem contestando in Judicio, contendere vult, quàm
 maximè potest, adversarij intentioni se opponit,
 eamque excipiendo elidere conatur; ideoque in de-
 bito eam confiteri censendus non est; alioquin idem
 simul negaret, & confiteretur, & contraria allega-
 ret, & eadem confessio duos simul contrarios effe-
 ctus operaretur; ut notat *Gl. in cit. reg. 63. §. 7. Excep-
 tionem.* Quare, cum Reus non unâ tantum defen-
 sione uti possit, v. g. negando intentionem adver-
 sarij, sed etiam aliis insuper exceptionibus uti queat:
 ideo, si Reus contendens in Judicio excipiat contra
 adversarium, non est existimandum; quod statim
 eius intentionem fateatur, cum talis exceptio, nisi
 cum negata intentione Actoris, consistere possit. *l.*
*Si quidem; 9. C. h. t. v. g. si Titius agat contra Ca-
 ium, & petat ab eo centum ex mutuo ipsi dato illi
 debita: Caius verò excipiat, & opponat, se non
 solvisse illa centum; vel Titium sibi pactum fecisse
 non petendi illa; per hanc exceptionem non fateatur
 Caius debitum: nam non sequitur: Solvi: ergo do-
 bui; quippe, cum etiam per errorem ut indebitum
 possit esse solutum, ita, ut iterum repeti valeat per
 conditionem indebiti. Similiter non sequitur:
 Titius fecit mihi pactum de non petendo; ergo
 verò fuit debitum; quia poterat esse, quod illud
 naturaliter solum erat debitum, vel nullo modo.
 Item, si quis dicat: interrupi præscriptionem: non
 fateri videtur, alterum præscripsisse; sed potius ne-
 gare, quod præscripsit; quia nondum erat com-
 pleta præscriptio, vel, si completa, fuit fortè facta
 sine titulo, & bonâ fide. Cum ergo huiusmodi
 exceptiones possint simul consistere cum negatione
 intentionis adversarij, non est censendum, quod
 excipiens per illam fateatur id, quod intendit ad-
 versarij; ut tradit *Gl. c. l. ubi tamen addit, tamen
 esse, si Reus opponat exceptionem sub conditione,*
*v. g. dicendo: nego me tibi promississe, vel mutuum
 dedisse; & posito, quod promississem, vel mutuum do-
 didissem, tamen tibi solvi; vel tu pactum mihi fecisti
 de non petendo debito.**

Ceterum plures sunt casus, in quibus Reus exci-
 piens habetur pro confesso. Veluti Primò, si ex-
 pressè fateatur debitum, licet annectat exceptio-
 nem separatam, dicendo v. g. Fateor debitum, sed
 solvi. vel: Pactus es mihi de eo non petendo: hoc casus,
 nisi Reus probet exceptionem, habebitur pro confessus,
 & condemnabitur: quia exceptio est separata à con-
 fessione.

sessione, Actorque se recte fundat in pura, & absoluta confessione Rei, reiecta exceptione, nisi probetur. *Abb. hic n. 26. in quarta opinione.* Secundò. Si contra excipientem militet aliqua præsumptio, ut si dicat: Fateor, me occidisse Titium, sed defendendo me: nam defensione non probatà, habetur pro confessio. Aliud est, si dicat: Nego, me occidisse, & posito, quòd occiderim, occidi defendendo me. *Felin. hic n. 15. ubi plures limitationes adfert.*

Notandum tertio. Quòd dictum est de exceptione Rei, intelligendum similiter est de replicatione Actoris; ut tradit *Gl. fin. in cit. reg. 63.* nam, sicut se habet exceptio ad actionem, ita replicatio ad exceptionem. *l. 2. ff. h. t.* Ergo, sicut excipiens non fatetur actionem, ita nec replicans exceptionem, nec triplicans replicationem; & sic de ceteris.

XLVII. Ex dictis inferitur, quòd in casu huius cap. in quo instrumentum à Procuratore falsatum exhibitum fuit, ad probandam intentionem Episcopi, non ideo is, qui instrumentum produxit, omnia contenta in eo confessus esse centebitur; ut docet *Innoc. hic n. 5. & Felin. n. 24.* quia non absolute confessus est, v. g. consensum Capituli in alienatione fundi intervensisse, sed quatenus in eo instrumento continebatur: ideòque corruente instrumento, corrumpitur etiam confessio. Aliud verò est, si quis absolute quid confessus fuisset, & ad id probandum produxisset instrumentum falsum: tum enim confessio eius subsisteret, etiam si instrumentum fuerit reprobaturum. Excipientium tamen videtur, nisi quis sciat, in instrumento hoc non contineri, vel illud falsatum esse, & tamen offerat, & ponat contra se ipsum: tunc enim censeri debet absolute confiteri, & instrumentum falsum allegare ad confirmandam confessionem suam; ut colligitur ex hoc cap. ubi ratio redditur, quòd delictum personæ Ecclesiæ obesse non debet: hinc enim colligitur, quòd, si ipsum monasterium, nempe Prelatus, & Conventus scienter produxisset tale instrumentum, vel produci mandasset, sibi propria confessione præiudicasset. *Alexand. de Nevo hic n. 64. & Felin. n. 27.*

XLVIII. Assertio secunda. Potest quis, non unà tantum, sed & pluribus exceptionibus, seu defensionibus uti; etiam si diversæ sint. *l. Nemo; 8. ff. hoc tit. cap. Nullus; 20. de R. I. in 6.* Ut, si quis conventus negavit debitum, & sic proposuit exceptionem facti, seu intentionis, potest nihilominus postea proponere alias exceptiones, juxta *l. Nemo ex h. 43. ff. de R. I.* Item, si quis primò proposuit exceptionem jurisiurandi, potest postea proponere exceptionem rei iudicatæ, vel alias. *l. Is, qui; 5. ff. hoc tit.* Item simul potest proponere plures exceptiones. *cit. l. Is, qui; & l. Nemo. ff. hoc tit.* Quin imò etiam plures exceptiones contrarias potest quis simul, vel successivè proponere: ubi tamen distinguendum est; nam absolute, & copulative non possunt contrariæ exceptiones proponi; quia, si una est vera, altera necessariò est falsa; adeoque, qui contraria, quæ simul vera esse non possunt, in iudicio proponit absolute, audiendus non est, sed tanquam fallax, & mendax repelli debet, & condemnari. *Arg. l. 1. §. Interdum. ff. Si quando pauper. fec. die. idque ex pluribus iuribus probat Dynus in cit. Reg. Nullus; n. 4. & 5.* Verumtamen sub conditione, & disiunctivè potest Reus etiam contrarias exceptio-

nes proponere, ita, ut, si Actor neget, unam esse veram, ad alteram ei oppositam probandam transire possit. *Dyn. c. l. n. 6. Decius in cit. reg. Nemo. ff. Eod. v. g. si quis à Parocho conventus de solutione decimarum excipiat, se per privilegium exemptum esse: vel, si exemptus non sit, se tutum esse præscriptione 40. annorum; hæc duæ exceptiones sunt contrariæ; quia simul consistere non possunt, & consequenter nec probari; siquidem is, cui Jus immunitatis à decimis titulo privilegii competit, non potest illud vi præscriptionis acquirere, cum hæc inter se repugnent; quia nemo potest præscribere rem suam, vel Jus, quod jam habet vi privilegii; ut bene notat *Alex. de Nevo in cap. Pastoralis; 4. n. 39. & 40. h. t.* Sitamen Reus conventus has duas contrarias exceptiones asserat, & proponat, non absolute, sed conditionaliter, non asserit, utrumque verum esse: nam, qui excipit, non propterea fatetur. *Gl. in cap. 1. v. Asserenti de testib. in 6. & dictum supra, sed asserit, se privilegium habere, & si in probatione eius succumbat, tunc se probaturum, quòd præscripserit: quo casu non ait, absolute se præscripsisse, sed ex hypothesi, si Actor nolit privilegium admittere, se probaturum præscriptionem.* Similiter Reus contrarias exceptiones proponere potest ad sui defensionem sub conditione, si nimirum neget intentionem adversarij dicendo, se nihil ipsi debere, aut, si debeat, idque probatum fuerit, dicit, se probaturum, illud sibi remissum esse per pactum de non petendo, vel se jam solvisse. *Dyn. in cit. reg. Nullus; n. 64.* Unde Baldus, & alij DD. in *l. Si quid; 9. C. h. t.* aiunt, consultum esse, ut, si Reus dubitet, num Actor intentionem suam probare possit, primò neget debitum, & sub conditione, si probatum esse videatur, exceptionem opponat pacti, vel solutionis, vel aliam similem. Necessè tamen est, ut id bonà fide fiat, alioquin, si quis neget debitum, quòd probari non potest, sciens, se esse debitorem, in conscientia tutus non erit, propter mendacium; ut docet *Covarr. lib. 1. resol. cap. 2. n. 2. circa finem.* Et hinc etiam, si duæ exceptiones essent ita directè contrariæ, ut, quòd ponitur in unà, nec conditionaliter possit poni in altera, tunc nec simul, nec successivè possent proponi; quia Reus convinceretur de mendacio, nec debet admitti ad allegandam turpitudinem suam. *Dyn. c. l. Alex. de Nevo c. l. n. 41.* Prædictis non obstat, quòd Reus in exceptione est Actor. *l. In exceptionibus; 19. in princ. ff. de probat. & l. 1. ff. h. t.* atqui Actor non potest simul plures actiones proponere, sed unam de pluribus debet eligere. *l. Nemo; 43. §. Quoties. ff. de R. I.* Ergo nec Reus poterit simul opponere plures exceptiones. Sed respondetur cum Dyno *cit. reg. Nullus; n. 7. & 8.* disparè esse rationem, quòd hoc, in Reo, & Actore; tum quia in potestate Actoris est, quando vult provocare, sique paratus venit ad iudicem; non autem est in potestate Rei, quando provocetur, sive conveniatur. *l. Pure; 5. §. fin. ff. de doli except. usque imparatus trahitur ad iudicium, qui facile cadere causâ possit, si non nisi unà viâ, ac modo se defendere possit.**

